


VATICINATIONES

Abdiæ, Ionæ, & So-
PHONIAE, PROPH E-
TARVM, CALDAEA EXPO-
sitione, quatenus variat ab Hebræo, & cōmen-
tariis trium insignium Rabbinorum Selomo-
nis Iarhhi, Abraham Aben Ezræ, & Dauidis
Kimhhi illustratæ.

INTERPRETE AR.PONTACO
AQVITANICO BVRDEGALENSI.

*Quibus acceſſerunt nonnulla ex D. Hieronymo
& veteribus aliquot theologis.*



PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni D. Christophori
è regione gymnasij Cameracensium,

I. S. G. B.



ORNATISSIMO PATRIO.
PONTACO REGIS SECRETARIO,
EIVSQUE IN SENATV BVRDEGA
LENSI ACTVARIO. AR. PONTACVS.
FIL. S. D.


PROXIMIS Natalitiis cùm
in otio versarer, cogitanti mihi, qua-
re te mei amantissimum, optime P A-
T E R, arctius demereret, quóue pa-
cto primam veluti messem sationis
precedentis anni tibi offerre possem,
nihil maius in mentem venire potuit, quam vertere triū
Prophetarum Abdiæ, Ionæ, & Sophoniæ tres doctissi-
mos explanatores, hactenus Latinis auribus incognitos.
Quos eò libetius ex Hebræo Latinos facere suscepi, ver-
bum verbo reddens, quo ad Latinae lingua ferebat puri-
tas, quod me hac via duorum hominum generi profuturū
sperarem, tum iis qui vel tarditate ingenij, vel temporis,
& facultatum penuria, sanctam linguam ceterarū omniū
primam, ac matricem (ut cum D. Hierony. loquar) sum-
mis etiam, quod aiunt, digitis attingere nequiuerunt, ut
proinde necesse habeant in diuinis, aliorum quodammodo
oculis cernere: tum iis quoque, qui ducuntur studio lingua
Hebraicæ, ac lectione Rabbinorū. Illi etenim hisce præ-
lectis, & Prophetarum sensum facilius affidentur, &
A 2 fide-

Hiero.in cap.
3.sopho.

fidelius retinebunt: hi cum textu, commentariorum collata nostra interpretatione, non parum se profecisse intelligent, cum in lingua Hebraica, tum in Theologicis maximè, in quibus beneficio Hebræa linguae, plus biennio (absit verbo inuidia) ediscet, quam alij, qui illius usu carent, sexennio. Est, fateor, in Graeca Latinaque, unde aliquatenus summis vigiliis ac laboribus scripturarum sensus, qui in verborum inuolucris latet, erui posset. At melius multò est ex fontibus ipsis haurire, quam riuelos conse-
Hiero. in p[re]fatio. super Ezra[m] & Nehemiam. cendendo, dum quis eorum purior sit non satis intelligitur, cuiusque interpretis sequi errorem, quod grauiissimis viris accidisse auctor est D. Hieronymus. Deinde nescio quo genio, cuiusque linguae sua est proprietas et loquendi ratio, que in aliam reddi nullo modo potest, quaque ignorata sape in transuersum discedendum sit ab authoris mente atque sententia. Verum haec obiter. Nam cetera, que ad huius studij commendationem pertinent, quod epistole angustius capi non possint, persequi mihi non est institutum. Si quibus interim placuero, iij satis hoc ipso nobis praestabunt, si minus satisfecero, ne iij non magnum accipient damnum exiguae chartulae, et breuissimi temporis, quod illis legendis insumpserint. Hoc unum modo intelligent me ex hoc toto nostri, siue otij, siue negotij fructu, ingeniique mei neuterotonou factu, nihil mihi, prater vertendi et describendi laborem, atque studium pro modulo iuuandi alios, arrogare. Illum autem si non ornatu & verborum lepore, nouitate tamen Latinis commendabilem, tibi etiam veleo ipso acceptum, quod fructus iucundiores esse soleat, qui in peculiari solo carpuntur, tuo nomini dicatum nunc
in pu-

in publicum exire volui, ut esset et meae diligentiae pignus, et propensæ erga te meae obseruantiae symbolum. In quo si quædam tibi inter legendum duriora fortassis occurrerint, non dubito quin ea, qua in me es, φιλοσοφία et charitate facile toleres, habens etatis, in qua scripsi rationem. Sic enim ubi hunc nostrū conatū probaveris, ad maiora exsuscitabitur animus.

Vale.



DE AVTHORE.


Egregios quondam Graiā, Latiāque camēna
Burdigalē ciues reddidit Ausonius.
Non minus illustres, linguam Pontacū Hebrāam
Romano iungens, efficit, eloquio.
Burdigalē siquidem natus, nutritus uterque,
Burdigalāque parens clatus utriusque fuit.

Gilb. Cheze.

A 3

* VITAE RABBINO-
RVM SELOMO. IARHHI,
ABRAHAM ABEN EZRAE, ET
DAVIDIS KIMHHI, EX
INTERPRETE.

RAB. SELOMO IARHHI.



RABBI Selomo Iarhhii, patria (vt ferunt) Campanus Trecensis, aut vt aliis placet, Lunensis, qui vicus est Narbonensis Galliae, non longe à Montepellano (id enim coniectant ex cognomine יְהוּדָה Iarhhii, nam חֶנְדֵּרֶת est Luna; quanquam aliis id sit ipsius familiae nomen) certè natione Gallus erat, vt ex eius scriptis liquet, in quibus passim Gallica inculcat. Tantæ est apud Hebreos authoritatis, vt cognomentum retulerit Capitis tribuum Israel. Nam ex primoribus literis, quibus ille significatur, faciunt טַבְּנָה. Et sane vniuersa Biblia Hebraica doctissimis quidem, sed valde argutis commentariis illustravit, in quibus aliquoties nostrum D. Hieronymum citat, titulo honoris חֶנְדֵּרֶת & Caldeum paraphraest magna ex parte sequitur, vt etiam eius oratione Chaldaicam sine vlla alia allegationis nota crebro vsuperet. Sermone vtitur impuro, ac referto vocibus Talmudicis, & Syris, preffo alioqui atq; Laconico, id est, paucis multa complectente, si quis diligenter attendat. Quod fecit, vt Nicolaus Lyranus non pauca adferat nomine R. Selomonis, quæ in eo nisi quodam circuitu & quasi signo non habetur. E nostris enim Nicolaum Lyranum præcipue admiratorem habuit, qui & proinde Simius R. Selomonis à plerisque appellatur. Paulò est addicitione nugamentis veterum Rabbinorum, quorum & doctrinam sive Talmudum, numero versuum quater aut quinques totum scripturæ corpus superantem, fusis adnotationibus explanatam reliquit. Quo tempore vixerit in eius scriptis nondum reperi. Nec est probabile fusile de numero Iudæorum, qui Galliis pulsi sunt, Philippo Augusto Francorum Rege, vt plerisque visum est. Nam dubitari non potest quin præcesserit Aben Ezra, qui floruit ante regnum illius Philippi, annis circiter 34. vt ex eius historia mox constabit. Philippus enim Iudæos exegit anno Christi 1182. vt scribunt Paulus AEmilius & Antoninus.

RAB. ABRAHAM ABEN EZRA.

RABBI Abrabæ, naticne Hispanus, patre R. Meir, cognominatus est Aben Ezra (i. filius Ezra) quod ex posteris fuerit cuiusdam Ezrae primæ apud Iudæos Hispanos authoritatis. Scriptor de grammaticis, philosophicis, & Mathematicis, ex quibus uidetur titulum חֶנְדֵּרֶת, docti sive sapientis, apud suos meruisse, aut etiam Astrologi apud nostros, seorsum apud Marsilium Ficinum in Plotinum. Commentarios etiam in vniuersam veterem scripturam elaborauit. i-

ravit. Librū תְּבוֹתָה i. elegiatarū de re grāmatica postremis illi⁹ libri versibus testatur se absoluisse anno ab orbe condito 4906, qui est iuxta Hebræorum computationem Christi 1146. Ad calcem vero commentariorum in Malachiam, meminit se in duodecim minores Prophetas scripsisse, dum in Rhodo insula ageret, atque eis finem imposuisse sub initium mensis תְּבִשׁ (qui vt plurimum respondet nostro Decembri) anni ab orbe 4917. i. Christi 1157. quo tempore Romæ Pontificatum administrabat Hadrianus huius nominis quartus, Friderico Barbarossa Germani Impera, Ludouico Iuniore Francor. & Alphonso 7. Hispania Regibus. Posterior videtur scripsisse in Pentateuchū Mosis: Nam dum enarrat decalogum Exod. 20. ait instare quintum mundi millennium, qui præfinitè incidit in annum Christi 1240. Ceterum eius locutio pura quidem est, sed concisa, subtilis, ac plane philosophica: vt illud Homerii *Iliad.* 3: non minus verè de eo quam de Menelao dici possit.

.επιστοχάσιην ἀγόρευε,
Παύρω Μάλα μάλα λιγέως
Quin & ita ludit ænigmatibus, vt interdum opus habeat Oedipo.

RAB. DAVID KIMHHI.

RABBI David Kimhhii, Hispanus, ingenio foelix, doctus, & parum tribus Talmudicis & Cabalisticis allegorius, ut qui sit sensu historico, & cōparationibus scripturarum addicitione, idoneus sanè quem C H R I S T V S sua cœlesti doctrina imbuisset, à qua alioqui est alienor, vt ex eius commentariis, quos in vniuersum ferè vetus testamentū addidit, intelligitur: in quib⁹ sacras Christianorū expositiōes, quæ ad religionis dogmata pertinet, conuellere nititur. Fertur præterea librū peculiarē contra Christianos confessisse, patris sui R. Ioseph Kimhhii vestigia insestatus, qui in eosdem duos tractatus lucubratarat. Habuit enim patrem doctissimum, & in suis literis maximè versatum, cuius interpretationes & sententiæ plurimis in locis libenter amplectitur: Ille etenim familiiter in legem & Prophetas scriperat. Habuit quoque fratrem natu maiorem Rab. Mose Kimhhii pereruditum, quem & frequenter honorificè citat, cuius etiam opuscula aliquod hodie supersunt. Imò verò tota eius gētilitas, cui Kimhhii auctus nomen dedit, apud Hispanos Iudæos scholis publicis, & synagogæ per multis annos olim magna celebritate præfuit. Lingua porrò Hebraicam hic noster, vt cæteros taceam, ita excoluit, vt quicquid boni hodie habemus, quod vel ad rei grammaticæ rationem, vel ad λέξεω proprietaem pertinet, ex eius libris haustum sit, seorsum ex vtraque parte Miclol, id est, ex Dikduk (sic grāmaticas minutias vocant) & librō Serasim i. radicum, ex quibus ferè ad verbum, ordine paululum commutato, Sanctes Pagninus suas illas Institutiones, & suum linguæ Hebrææ Thesaurum exscriptis. Phrasis vsus est pura eleganti & compta, in qua breuitas certat cum perspicuitate, nihil in ea parum, nihil nimium, vt de Aristotele quidam scripsit, cui nihil detrahi potest, quin sententia efficiatur multila, nihil addi, quin sensus sit redundans, & profundi Afianus. Vixit non multò post Aben Ezram, quem saepe citat, quantum conjectura assequi possum. Neque enim ex eius scriptis certò constare potest, quanto post tempore vixerit.

ABDIAE PROPHETAE VITAE EX LIBRO IOACHIMI PERIONI DE VITIS
rebusque gestis Prophetarum Dei.

Epiph. lib. de
Propht. v. it.

4. Reg. I.

Hiero. in Abd.

3. Reg. I^o.

3. Reg. 22.



B D I A S Propheta Sichemitanus erat, ex agro Beththacamarino, ut Epiphanius scribit. Idem memoriae prodidit illum esse tertium praefectum quinquaginta, qui ad Eliam missus est ab Ochosia rege Israëlis, ut habes in libris Regum. Eundem scribit idem Epiphanius, postea deserto ordine, in quo cum rex collocauerat, sequutus esse Eliam eiusque fuisse discipulū, & multa perpeſsum, seruatum esse illius nomine. Hieronymus autem scribit hunc ipsum esse illum Abdiam Hebræorum sententia, qui Achab rege Samariæ, pauit in specubus centū Prophetas. Quod cuiusmodi sit vt intelligas, vide in Regibus. Quin & quinquagenarium etiam illum tertium, de quo diximus, idem Hieronymus Abdiam esse putat, ut vnum eundemque arbitremur (id enim ferre potest ratio illorum temporum: successit enim Ochosias patri suo Achab, duobusque duntaxat annis regnauit) Ait enim principio cōmentariorum, quibus Abdias huius librum illustravit & explicauit, Abdiam, quod pauerat centum Prophetas, & munus vaticinādi accepisse, & ex duce exercitus, factum esse Ecclesiæ ducem. Propheta hic, si scriptum sequamur, Idumeæ euerſionem, ludeæque restitutionem prædictit: Si sententiam spectemus, gentium euerſionem, Christique per apostolos ædificationem. Breuis est ille quidem verborū copia & multitudine, sed longus pondere sententiārū.

In patria sua mortuus et tumulatus est, quanquam sepulchrum eius cum Mausoleo Elisei Prophetæ ac Iohannis Baptistarum in urbe Sebaste, quæ olim Samaria diceretur, in honore ac veneratione haberi scribit Hieronymus.

69

ABDIAS PROPHETA

CVM COMMENTARIIS RABINORUM Selomonis Iarhhi, Abraham Aben Ezra, & Davidis Kimhhi, Caldaea item expositione quantum variat ab Hebreo. Ar. Pontaco interprete.

VISIO Abdiæ, Hæc dicit Dominus Deus ad Edom. Auditum audiuimus à Domino, & legatus ad gentes missus est, Surgite, & consurgamus aduersus eam in prælum.

I Visio Abdiæ. Quare Abdias scripsit in Edom, Selo. Iarhhi. nec aliam vaticinatus fit Prophetiam, ut respondeat sapientes, narrant Abdiam alienigenam fuisse ex Idumeorum genere, Deumq; dixisse, se ex ipsis & è medio ipsorum aliquem aduersus eos suscitaturum: Veniet (ita enim Dominum secum loquentem faciunt) Abdias qui habuit inter duos impios, Achabum & Iezabelem, neque se imbut illorū operibus, atq; ita ultione sumet de Esau impio, qui inter duos iustos Isacum & Rebecam vitam degens, eorum opera non didicit.

I Visio Abdiæ. Ipsius ætatem ignoramus, nec certò Aben Ezra. statuere possumus, illene sit, quem vixisse diebus Achab 1. Reg. 18. ver. in libro regum memoratur, eo enim loco scriptum est, Et Abdias fuit timens Deum. Nā si is propriè erat propheta,

B ta,

ta, quomodo illic vocaretur timens Domini, ac nō potius propheta, cum præfertim prophetæ nomen sit multo nobilior? Auditum audiuimus. Id mea quidem sententia referunt ad hunc prophetam, Ieremiam, Esaiam, atque Amos qui omnes contra Edom sunt vaticinati, ac propterea pluralem numerum usurpat. Et legatus. Velluti legatus missus est ad gentes, ut cōueniant, ac dicane ad inuicem, Surgite & cæ.

Ierem. 4.9.
Esai. 3.4.
Amos. 1.9.

David Kibhi I. Visio abdiæ. Nescimus qua ætate hic propheta vaticinatus fit. Sentiunt autem beatæ memoriae doctores nostri, hunc Abdiām esse qui fuit apud Achabum. Tradunt præterea Abdiām peregrinum ex Idumeorū gente prouerbii eius fuisse, et aduersa vaticinatū suis Idumeis: idq; esse quod dem sententia fertur prouerbio, Artifex medio ipsiusmet coclearis quod cum, suo se gla dio ingulare. sculpsit, adurit os suum sinapi. Sic autem Deum secum colloquētem inducunt, Veniet Abdiās, qui habitans inter duos sceleratos Achabum & Izabelē, eorum improbitate animum suum non informauit, vindictamq; sumet de Esau impio, qui mansit inter duos iustos Isacum & Rebecam, nec vero facta ipsorum edocitus est. Porro tota eius prophetia est in Idumeos, aitq; excidium Idumeorum fore salutem Israelitarum, atq; in hoc suum vaticinium absolvit. Illud autem contigit tempore secundæ ædis, quo affixerunt Idumei Israelitas, dum euerteretur posterius templū, sicut exposuimus in prophetia Amos sectione, Super tribus sceleribus Edom. Cæterū propheta prædicti fore, ut Deus extremis diebus ulciscatur illos, subductis Israelitis ab exilio. Notandum autem Idumeam regionem hodie quidem non esse filiorum Edom, quia gentes

CVM COMMENTARIIS.

3

gentes sunt commixtae, ac maxima ex parte religionem sequuntur vel^{*} Nazareorū, vel^{*} ismaelitarū, nec inter ^{*christianorū}
^{*zarracenorū} eos Idumei, Moabitæ, Amonitæ, cæteræq; nationes se- cernuntur. Illæ enim omnes è terra sua exularunt, & cōmixtae sunt gentibus. Sed tamen de Romano imperio di- cītum esse, quicquid prophetæ vaticinati sunt de interitu Edom extremis mundi temporibus futuro, quoniam Ro- manum imperium magna ex parte erat penes Idumeos: ut docuimus super Esaiam, sectione, Cōgregamini Esai. 34. ver. 1. gentes ad audiendum. Nam cum destruetur Roma tunc redemptio erit Israelitarum. Quod non obscurè significat Ieremias in libro Lamētationum, Completa est iniquitas Thren. 4. v. 22 tua filia Sion, non addet ultra ut transmigret te, visita- bit iniquitatem tua filia Edom & cæ: Hæc dicit Do- minus Deus ad Edom. Heb. סְנָאֵת .i. de Edom, ut, Dicito יְהוָה (.i. de me) frater meus est. Auditum audi- Gen. 20. v. 13. uimus. Quòd dicent gentes de Edom, auditione au- diuimus à Domino, & quòd tanquam legatus ad popu- los missus sit. Quis autem est ille auditus? quo cohortans gens gentem, Surgite (inquiet) & consurgamus aduer- sus eum in prælium. Aduersus eum. contra terram E- dom. Aut verba huius versiculi erunt inuersa, hoc modo, Auditū audiūmus ego & reliqui prophetæ, q; sic dicit Dominus Deus de Edom, Et legatus inter gētes missus est, quemadmodū exposuimus. Eadē ait Ieremias prophe Iere. 49. v. 14. ta in sua vaticinatione, Auditū audiū à Domino, &c.

Esau filius Isaac natu maior, his tribus nominibus Accessio. est apelatus Esau, Seir, & Edom, quorum prius, fuit eius proprium nomen, alia duo eius cognomina dictus B 11 que

que est Seir quasi pilosus, totus enim erat hispidus in morem hirsutæ pellis: Edom autem quasi rufus, vel à lenticula rufa qua primogenitaram vèdedit: vel ex corporis rufo colore, sicuti habes Genesews cap. 25. Ille itaq; regionem post Arabiam Palestinæ proximam, ab Eleutheropoli usq; ad Petram, versus meridiem terræ Israelicæ, incoluit & possedit, eamq; ex suo nomine Edom, seu ut Græci & Latini efferunt Idumeam nominauit, unde & Genes. 26. cap. dicitur pater Edom. Monti vero in ea regione suo nomine imposuit Seir. Sicut aut̄ Esau fratri suo Jacob electo Dei fuit semper infestissimus, ita eius odium ad eius posteros Idumæos transiit, adeo ut nunquam desierint veros Israelitas persequi. Propterea Idumeorū appellatione scriptura non raro oppressores piorū ac fidelium intelligit. Quo fit ut iuxta tropologiam hæc prophetia Abdiæ sit in Idumæos, id est, vel Iudeos qui persequuntur Christianos, populu supplantatores, qui illis primogenita præripuit, vel contra mundum, vel certe aduersus omnes heres, quæ heredem & habitatorem domus Jacob nituntur expellere. Frustra igitur somniant Iudei contra urbem Romam, regnumq; Romanum hæc fieri prophetiam. Nam ipsa aut iuxta historiam sub Zorobabele est iam impleta, vel sane iuxta prophetiam & mysticos intellectus, quotidie in ecclesia completur.

CHALD.

2 Ecce *paruulū dedi te Ecce *debilē dedi te.
in gentibus: contemptibi- Impietas b cordis tui
lis tu es valde. te errare fecit, ô tu qui es

3 Superbia b cordis tui similis aquilæ, quæ degit
 in

decepit *te habitatem in in dētibus *petræ, cuius Hiero.* Extu-
scissuris petræ, exaltatē māgio est insublimi, di- litte, quod le-
solium tuum. qui dicis in cēs in corde suo, quis me nistrum.
corde tuo, quis detrahet in terram detrahet? i. fissuris *ru-
me in terram? Si c inter sydera collo- piūm.

4 Si exaltatus fueris vt caueris domiciliū tuum.
aquila, & c si inter sydera posueris nidū tuum, in-
de detrahā te, dicit Dominus.

2 Ecce paruulū dedi te. Pater vocarat Edom filiū Selo. Iarhi.
suum maiorem, similiter & mater, è cōtrario Deus illum gen. 29. v. 11.
profitetur ante se paruum esse. Doctores autem nostri v. 15.
paruum appellatū censuerunt, quod nec illi esset scriptu-
ra, nec lingua peculiaris. Contemptibilis. Ipsi enim nō
constituebant regem per successionem sanguinis.

3 Habitantem in scissuris petræ. Nititur patribus
suis Abrahā & Isaac, at nihil ipsi proderūт. בְּחָנוֹן, id est,
in scissuris, ut apud Esaiam, Erit terra Iuda Ägypto Esai. 19. v. 17.
בְּחָנוֹן, id est, in confraktionem. Nec te mouere debet van
interiectum. Nam id fit ex similitudine aliquorum alio-
rum, ut, קְצִוֵּי מִתְחָה, iactus, in cuius dictionis cor-
pore nihil est radicale præter ו כְּנָה.

2 Ecce paruulum. Ipsi enim sunt pauci numero, nec Aben Ezra;
regnum eorum latè patet.

3 Habitatem. Deest (particula similitudinis) Caph,
ut sit sensus, Cogitasti montē Seir te liberaturum, tan-
quam habitantem in fissuris rupis.

4 Si exaltatus fueris sicut aquila. Vox נֶגְבִּיה est
actina, & respatiens deest, nempe, locus habitationis:
Et sic in Psalmis חַמְגַבִּיה qui ut habitat, exaltat sedem psal. 113. v. 5.

B ij suam

suam ut iam exposui, sensus ergo est, Si exaltaueris locum habitationis tuæ sicut aquila, inde te deiiciam.

Dau. Kimb.
hi.
Gen. 32. v. 10. Ecce paruum. Contemptum & humilem, ut in transstulit Ionathan, Ecce infirmum dedi te ô Esau impie in populis: propterea subiicit, Contemptibilis tu es valde. quasi dicat, ceteræ gentes non curabunt de tuo interitu. Dedi te id est, dabo: Nam saepe in prophetiis, præteritum futuri loco usurpatur.

3 Superbia cordis tui decepit te. Ut magnificè & superbe loquereris, atque graniter succenseris fratri tuo Iacob. Habitantem in scissuris petræ. Cum habitares in monte Seir, existimabas te in eo tutum esse, nec quenquam fore qui te inde detraheret. Exaltantem solium tuum. Exaltatio habitationis ipsius erat in fissuris rupis, id est, mōtis, Seir: Siue ut est apud Ieremiam (ubi hæc prophetia retexitur) In altitudine collis. Habitantem. *וְשָׁבֵן* habet Iod paragogicum. Tale est in Esaï. 22. v. 16. *חַזְכִּיָּה* (i. excindens) in excelsō sepulchrum suum, Esaï. 123. ver. 1. in Psalmis quoque, *הַיּוֹשֵׁב* (i. qui habitat) in cœlis. In scissuris. Heb. id est, in ambitu, unde *חַזְנֵה* *חַרְצֵה* *חַרְצֵה* terræ ambitus, & q. circinnatio, apud Esaïa: Siquidē

חַנְנָה *חַנְנָה* *חַנְנָה* unius & eiusdem sunt significationis, per circuitum autem siue ambitum petræ, designat cacumen rupis, hoc est, turrim ipsi superstructam.

4 Si exaltaueris sicut aquila. Si extuleris tuam habitationem, sicut aquila, quæ volat altius quam ceteræ volucres. Posueris. *תְּשִׁים* pro *תְּשִׁים*, sicut in Deuteronomio, Ascende & *מוֹת* (i. morieris) in monte, ubi *מוֹת* pro

pro מוֹתָה (infinitum pro futuro) ponitur.

In scissuris petræ. Omnis Australis regio Idumeorū Accessio, in specubus habet habitatiunculas & propter nimios calores solis, sub-terraneis tuguriis utitur. ait Hiero.

CHALD.

5 Si & fures introissent ad te, si latrones per nocte, quo modo conticuisti, nonne fuit nisi sufficiens sibi? si ses somno oppressus, do vindemiatores introisset ad nec furto substraxisse, nūquid saltem racemum sicut quantū ipsis satis reliquisti tibi?

6 Quomodo & scrutati sunt tanquam vindemiatores, Esau, inuestigarunt absconditus, & ca.

Quomodo & inuestigatus est Esau, reuelata sunt occulta eius?

5 Introissent ad te. id est, super te, Quomodo conticuisti. Quare obdormiisti, silens donec pro libidine omnia furto surripuerint? Nonne vindemiatores relinquere solent racemos? Ipsi autem nihil tibi relinquunt, perscrutabuntur enim te, & magna lustratione retegent quæ recondideras.

6 Inuestigarunt. Couertit Jonathan, Reuelata sunt.

Et certè lingua Syriaca בְּעֵזֶב significat inquirere: ut, Si Esaï. 21. v. 12. *בְּעֵזֶב* *בְּעֵזֶב* queritis, querite, apud Esaïam.

5 Si fures, & cæ. occultè & clauculum. Coticuisti. Aben Ezra. Hebr. נְרָמָתָה. i. excisus es: ut apud Oseam, excisa ose. 10. v. 7. est Samaria.

6 Et inuestigarunt. Vox Hebraea נְבָעֵז sic accipitur apud

Esa. 21. v. 12. apud Esaiam, Si queritis, querite.

Dau. Kimhi. 5 Si fures. Per admirationem ait, miraturos eos qui tempus desolationis Idumeorum viderint, dicturosque, quid tibi istud accidit? Si fures vastassent te nocte quae dormiebas, neque sensisses eos, ut insurgendo arceres, nonne furati essent sufficientia sibi? hoc est, quantum ferre possot relictis ceteris. Si vindemiatores introfissent ad te, quid. Si interdiu. quidem venissent in te depopulatores instar undemicatorum, qui colligentes vinea identidem redeunt ad colligendum, quemadmodum scriptum est, Reduc manum tuam quasi vindemiator ad cartallos, Non potuissent tam non relinquere rameos, eos praesertim qui ita minutis sunt, ut ab ipsis non videantur, quiq; sub foliis vinea latent. Atqui tu tam diligenter explorata es, ut ne quidem depopulatores reliquerint tibi thesauros reconditos. Fures & latrones noctis. eiusdem sunt notionis. Sententia vero geminatur comutatis dictioribus, ut plurimum enim fures grassantur noctu. Quomodo conticuisti. נַרְמִיחָה excisus es? Osea. 4. v. 6. sicut apud Oseam, נַרְמִיחָה excisus est populus meus, eo quod Osee. 10. v. 15. non habuerit scientiam, נַרְמִיחָה excisus est rex Israel. Jonathan transstulit, Quomodo sopiebaris somno dum furarentur quantum sibi satis erat? ut cum quis alicui dicit, cum id fieret quomodo dormiebas?

6 Quomodo scrutati sunt Esau. hoc est, thesauros Esau, sicut subiicit, Quomodo inuestigarunt abscondita eius, eodem quidem sensu, sed aliis atq; aliis verbis. נַבְעָנו significat querere, ut confirmatur Chaldaea paraphrasi, Gen. 43. v. 30. apud quam illud Geneas, Et quæsivit et cæ. transfertur

CVM COMMENTARIIS.

fertur נַבְעָנו: quam etiam vocem usurpauit Esaias, Si Esa. 21. v. 12. queritis querite.

Sifures. Significat Babylonios, et exercitum Na- Accesio buchodonosoris.

CHALD.

7 Vsq; ad terminū emi- Ex f finibus transstu- ferunt te, omnes viri fo- lerunt te in exilium, deris tui illuserunt tibi. In- et cæ. ualuerunt aduersus te viri Qui comedebant in pacis tuæ. Qui s comedūt mensa tua posuerunt of tecum, ponēt insidias sub- fendiculū sub te, ex eo, ter te, non (est) prudentia quod non est in te intel- in eo.

7 Vsq; ad terminū emiserūt te. Hi qui tibi opem, Sel. Iarhhi, auxiliuumue polliciti fuerant, venerunt tecum, seq; tibi comites præbuerunt ad finem usq; terræ tuæ et ad ipsum usq; limen, ad quod aduersus te conuenerant in aciem, atque in hoc te deceperunt, ipsisq; fæliciter successit In- ualuerunt aduersus te. Dum impulerunt te ut exires fines tuos, ipsis à te retrocedentibus. Qui comedunt tecum ponent insidias subter te. Tuus etiam frater Iacob cibum tibi apposuit in plagam: panem enim Gen. 25. v. 7. et edulium ex lentibus tibi obtulit, cuius causa neglexisti ius primogenituræ. Insidias. Vox מַוְרֵךְ agritudinem significat.

*7 Vsq; ad terminū. Non * proficisciabantur confœ- Aben Ezra. derati tui ut te seruarent, verum duntaxat usque ad * lego. לְכֹנו extre mos terræ tuæ limites te perduxerunt, du qui tibi supererant in captiuitatem duceretur. Supter te. cum*

C effes

effes in loco tuo, hoc enim notat, Supter te. Viri pacis tuę (et) קְרָבֵל i.panis tui. Qui cibū tibi apponebāt inferebant plagam in panem tuū, neq; sentiebas. Insidias.

Vsurpanuit כּוֹר pro plaga que debet circumligari, sicut
ose. 5. ver. 13. Oseas, מִלְאָמָר .plagam, seu, vinculum suum. Non (est)
prudentia in eo. Heb. כָּאֹת id est, sicut homo) à dictione אַיִן (non) ut sit sensus, Si-
Esa. 40. v. 29. cut vir, in quo non est prudentia, ut apud Esaiam, יְאָלֵה, id est, יְאָוֶת וְלוּ. Et (viro cui) non sunt vires, multi-
plicat robur. Doctor Marinus exponit כּוֹר in eo, pro
Exo. 12. v. 48. ex eo: ut, Omnis incircuncisus non comedet כּוֹר in eo, hoc
est, ex eo: Hoc sensu, Non intellexisti ex eo.

Dau. kimhhi 7 Vsq; ad terminum. Socij tui & fæderati, qui que pane tuo vescebantur, in quibus sperabas, te in exilium amandarunt, & emiserunt te ad fines usque tuorum hostium, qui te vastant. Simulabat quidem se egrè ferre & deplorare exilium tuum, at qui illi ipsi clam erant auxilio hostibus tuis. Id tu non percipiebas, nec intelligebas. Nā

* Hiero. recit. & sapientia tua & fortitudo in illa die perii. * Qui legit in Benoniocomedunt tecum. Heb. Viri כְּרָבֵל panis tui i. qui nullā erit ecti- comedunt panem tuum. Insidias. Vox significant psis.

Ose. 5. v. 13. infirmitatem ac plagam, ut in Osea. Et vidit Ephraim langorem suum, & Iuda כּוֹר plagam suam. Supter te., clanculum. Nam te celarunt consilium suum, cum tamen simularent se tibi esse amicos. Hoc eodem sensu in Samuele, Misit qui sub eo (clanculum, siue, eo inscio) diceret, cuius est terra. Non (est) prudentia * in eo. In Esau. Nam non intellexit quid molirentur in se viri sibi iuncti fædere. Ac talis est mos scriptu-

* i. in te.

re loqui

re loqui in uno eodemq; versiculo per secundam & ter- Mutatio per-
sonæ frequens in
tiam personam.

CHALD.

8 Nūquid non in illa die, dicit Dominus, perdam sa piētes de Idumæa, & h pru-

dentiam de monte Esau? 9 Et frangentur for- *ō Theman,
9 Et timebunt fortes tui tes tui, qui inhabitant Heb. inter-
* à meridie, vt intereat vir Austrum, ut excinda-
de monte Esau propter tur vir pollens robore ex-
terfectionem. arce Esau, p̄ strage.

9 Et timebunt fortes tui à meridie. Timebunt & Selo, Jarhhi. formidabunt profugere in terram Idumæam. Jonathan * Alter legit autē transtulit, * Et dispergentur fortes tui qui incolunt Rabin⁹, quām terram Australēm. Vt intereat vir. Vt excidantur uni- ferat nostrum Targum.
ueri potentes atque strenui. De monte Esau propter interfectionem. p̄ multa cæde, quæ in eos edetur.

8 Nunquid, et cæ. Sapientes aut etiam robusti tui Aben Ezra, nihil conferent ad tuam liberationem.

9 A meridie. כּוֹר, Theman (quæ vox non tantum sumitur pro plaga meridionali, sed etiam nomen est viri) fortasse in mentionem venit, ob robur & vires ipsius: Timebunt, inquit, fortes tui, qui sunt exorti ex Theman: Est enim ex posteris Esau. Vt intereat vir. Ex multa Gen. 36. v. 11; strage, ut nec ullus sit superstes: dictio autem, Vt, cohæret cum, Perdam.

8 Nunquid, et cæ. In Idumæa quidem sunt sapien- Dau. Kimhhi tes viri, sed cum aduenerit eorum ruina, perdam sapientiam illorum. Quod similiter apud Jeremiam dicitur,

Iere. 49. v. 7. Fætida est sapientia illorum. Sunt etiam in illa viri fortis, idq; propter benedictionem Isac, In gladio tuo vices: At quo die afficietur extrema clade, robusti isti terribantur.

9 Et timebūt fortes tui, Theman. Themā est un^o filiorum Eliphaz filij Esau: Ionathan exponit, Habitantes Austrum. Ut intereat, et cæ. Deus ipsis terrorem incutiet, ut intereat vir de monte Esau. Propter interfectionem. נָבוֹז, præ multitudine cædis qua sternentur, quilibet eorum excindetur. Nam Chaldea dictio, significans cædem est קִיטוֹל, quam vocem etiam scriptu-
Ez. 30. v. 25. ra usurpat, Si לְטוּךְ (interficeris) Deus impium. & in
Psal. 139. v. 19 Psalmis, Si לְטַבֵּךְ occiderit me (Deus) in eum sperabo.
cætera sic Ionathan transtulit, Ut excindatur vir pollens robore.

CHALD.

10 Propter iniuitatem in i Quando prædati fratrem tuū Iacob operiet te sunt populi eius subcōfusio, & peribis in æternū. stantiam, & extra-

11 In die quum stares aduer nei eiuscimilitates sunt sus eum, quando i capiebāt a- ingreſſi.
lienii exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Ierusalem mitebant fortē:
tu quoq; quasi vñus ex ipsis.

Selo, Iarhhi. 10 Propter iniuitatem. Propter violentiam quam intulisti Iacobis.

11 In die quum stares aduersus, et cæ. Quia non venisti adiutum eum, tu quoque quasi vñus eorum eras, inueham ego in te mala, atq; si effes ex numero eorū, qui

ex

ex aduerso acurrerunt.

10 Propter iniuitatem. Isti versiculi docent hanc Aben Ezra prophetiam pertinere ad Idumæos, postquam Hierosolymiani demigrassent Babylonē. Quod similiter Psalmographus deplorans ait, Recordare Domine filiorū Edom, Psal. 137. v. 7. qui dicūt (Babylonii) Exinanite exinanite: & lamētationum author, Cōpleta est iniuitas tua filia Sion, non Thren. 4. v. 22 adder ultra ut transmigret te, visitabit iniuitatē tuam filia Edom. Et sanè Nabuchodenosor perdidit Idumæos, fuitq; terra eorum in vastitatem reducta: sicut prædixerat Ezechiel. Nam Hierosolymiani post exilium Ba- Ezech. 35. v. 1. bylonicum redierūt, non item Idumæi. Cæterum iam exposui in commentariis ad Danielem, Israelitas non detineri captiuitate Idumœorū, simul etiam explicavi quid per regnum Edom impium sibi vellent veteres. Propter iniuitatem. Propter iniuriam, qua Idumæi Israelitas affecerunt in die (excidijs) Ierusalem.

11 In die quum stares. ut spectans te vindicares.

10 Propter iniuitatem. Iam exposuimus tempore Dau. Kimhhi excidijs aedis secundæ * Idumæos male tractasse Israelitas.

Iam hanc in secunda æde Israélitarum vexationem pro- Memineris Isa- pheta vaticinatur: ac simul Deum in extremis diebus dæm loqui. sumpturum de eis supliciū, quo illos funditus ē mūdo tollet. Verum sapiens ille Rabbi Abraham Aben Ezra hæc interpretatur de excidio domus primæ, in quo Idumæi vexarunt Israelitas, qui abducebantur in exilium à Nabuchodenosore.

11 In die quum stares ex aduerso. In voce נֶרְצָע, id * Accentū re est, cùm stares, ו retinetur per * gahia. Luxta expositionē thoricum.

C iii nostram

Commentū est nostrā, istius versus sensus erit huiusmodi. Licet Titus Iudaicum. Et magna pars exercitus ipsius, qui deuastarunt tēplum, Idumæi essent: tamen filij Edom adhuc habitabant in terra sua Idumæa, nec quidē penes ipsos erat imperium, (nam Romanorū erat, ac Romani omnibus imperabāt) sed tamen Romani Imperatores erant Idumæi. Cum ergo obſedit Titus Ierusalem, Idumæi eorū calamitate lata-
bantur, quin etiam in sua ipſorum terra illos vexabant,
cū tamen poffent eos, qui euafabant occultare, ne in Ro-
manorū manus & potestatem venirent. Stabāt etiam ex aduerso, lētantes casū eorum, quum eos iuuare de-
buerint. Deut. 2. v. 4.

Deus ipſe prohibuit Israelitas, dum per desertū tran-
ſitum facerent, illis uillā noxam afferre, causa fraternita-
tis. Quomodo capiebant alieni exercitum eius.
וְהַבָּשֵׂת אֲנִי קָרְבָּנָה וְהַבָּשֵׂת כִּי־כִּי וְהַבָּשֵׂת כִּי־כִּי
In die, in-
quī quo exteri, id est, Romani, facultates & poffef-
fiones eius ceperunt, tu quoq; aderas. Mittebant. Heb. 13. 1.
fieri potest, ut radix eius sit יְהֹוָה וְהַבָּשֵׂת כִּי־כִּי
multi-
plicati ſunt, apud Ieremiam. Fieri etiam potest, ut ſit יְהֹוָה וְ
zach. 1. v. 21. quemadmodum in Zacharia, יְהֹוָה לְ (ad proiiciendum)
cornua gentium: tumq; ratio eius grammatica. 1711 per
duo Iodim, ut ſit futurum daguesatæ coiugationis. (piel)
Nam ſublato iod radicali, propter καρφωτῶς gemini iod,
transfertur motio iod radicalis, id est, patach, ad iod fu-
turi, ad indicandam literam defientem. Quod autem
dicit tale eft, lecerunt ſortem ſuper captiuos Hierofoly-
mitanos. cūm principes hostilis exercitus eos inter ſe ſorti-
tō diuidarent. Etiam tu quaſi vnuſ ex illis. Ex Idu-
mais

mais, qui uenerunt unā cum Romanis.

CHALD.

12 Et nō despicies in die fra-
tris tui, in die ^{lx} peregrinatio-
nis eius: Et non lætaberis ſu-
per filios Iuda, in die perdi-
tionis eorum. Et non magnificabis + os tuum in
in die angustiæ.

13 Neq; ingredieris portam ^l Addiuitias eius
populi, mei in die ruinæ eo- in die ruinæ ipſius.
rum: neq; despicies & tu, in malis eius, in die va-
ſtitatis illius, & non emittetur aduersus ^l exerci-
tum eius, in die vaſtitatis illius.

14 Neq; ſtabis in exitibus, vt interficias eos qui
fugerint, & non concludes reliquos eius in die
tribulationis.

15 Quoniam iuxta eft dies Domini ſuper om-
nes gētes: Sicut fecisti fiet tibi, retributionē tuam
conuertam in caput tuum.

16 Quomodo ^m enim bibi- ^m Quemadmodum
ſti ſuper montem sanctum enim exultafis ppter
meum, bibent omnes gentes plagā montis mei san-
iugiter: & bibent & abſor- cti, ſic bibent omnes
bebunt, & erunt quaſi non populi calicem vltio-
nisi ſue iugiter: bi-
bent, inquam, ac obſtupefcent, et cæ.

12 Et non despicies in die fratris tui. Non debe- Selo, Iarhi-
bas intueti & ſtare exaduerso. In die יְהֹוָה. In die quo
conclusus eft frater tuus in manibus hostium. Hac verbi
notione

^{1. Sam. 23. v. 7.} notione dictum est de Saule, נָכַר (conclusit) Deus in manibus meis.

13 Et non emittentur aduersus exercitum eius. Non fuerant immittendæ manus tuæ in facultates eius, ita exposuit Jonathan. Et sane oratio est truncata, ut sit necesse subaudire manus tuæ.

14 Neq; stabis in exitibus. פְּרָקָה est locus in quem fugitiui exeunt de via, ut se liberent: lingua vernacula (. Gallica) Trou.

16 Quomodo bibistis. Sicut clade montis sanctitatis meæ latati estis, sic bibent et cæ. Et absorbebunt. יְלִוִי, & obstupescere, ex Chaldaea quidem interpretatione, & propriè significat perturbationem, stuporem & alienationem mentis, vernaculè Estourdissōn.

Aben Ezra. 12 Et non despicies, et cæ. Non debueras inspicere Gal. *Qui luy diem alienationis eius, id est, diem exitij eius, qui * erat estoit bië estrā. alienus nouisq; admodum in eius oculis: Nam nullum diem nouit huic similem.

13 Neq; ingredieris. Quia Idumæi semper fuerant sub potestate Iudeæ, propterea eorum gaudium nobis fuit granus, quā angustia, qua nos affixerunt. Et non emit-
^{Iob. 39. v. 23.} tetur. Supple, Manus tuæ, per eclipsim. Talis est in Iob, Fodiant in valle, s. pedes eius.

14 In exitibus. פְּרָקָה est locus, à quo diffinduntur viæ. Illic autem stabant, ut indicaret Babylonis, quo itinere effugisset is qui euaserat. Et non concludes reliquos eius. Tradendo enim, veluti eos concludis.

15 Quoniam iuxta est. Sensus est, Omnibus, imo vero & tibi, breui enieret talis calamitas.

16 Quo-

16 Quomodo enim, et cæ. Israelitas alloquitur, Sicut bibistis calicem *sic bibent omnes gentes. Et ab- *legē יְלִוִי non sorbebunt. יְלִוִי Hoc verbum significat absorbere, de- glutire, idem quod בְּלִוִי non quod alioqui beth deficiat, unde in Proverbiis יְלִוִי absorbuit sanctū. Iaphet ita ex-^{Pro. 20. v. 25.} ponit, sicut biberunt gentes & latatae sunt super monte sancto meo, sic bibent super monte Esau.

12 Et non despicies in die fratri tui. Non debueras inspicere diem tribulationis fratri tui. Mox autem explicat, quid appellat Diem fratri, nēpe, diem alienationis eius, hoc est, diem quo alienatus est à terra sua, factusq; tāquam extraneus, quoniam inde eiecerūt illū. Nonnulli etiam exponunt diem נְבוֹן diem quo ipse traditus est in manus hostium suorum, de significatione prodendi, ut in Samuele, נְכַר Tradidit eum Deus in manus ^{1. Sam. 23. v. 7.} meas. Et non magnificabis ostuum. cachinno, aut aliis verbis: sicq; transtulit Jonathan, Qui multiplicasti loqui magna.

13 Neq; despicies & tu in malis eius. Spectare nō debueras eius cladem, sicut alij qui erāt alienigenæ, cùm tu frater es. Et non emittentur. sensus est, Et non emitti debuerant manus tuæ in facultates eius: sic etiam intellexit Jonathan, Qui iniecisti, inquit, manus tuas in diuitias eius, quo die confringebatur.

14 Neq; stabis in exitibus. הַפְּרָקָה in biuio & compito, loco scilicet, in quo finduntur viæ, verguntque in partes varias. In huiusmodi locis ancipitibus Idumæi stabant, ne Israelitarum ullus effugere posset, quin à se interciperetur, propter eos enim vias obseruabant. Eos qui

D fuge-

fugerint. וְתַחֲלָה אָמַר כִּי אָמַר הַיְהוּדִים אֶת per hirec (non tseri) ut, וְתַחֲלָה re-
sidui eius.

15 Quoniam iuxta est dies. Quamvis longe abesse
à die, quo dicta est hæc prophetia (implebitur enim istud
tempore redemptionis Isræl) dies tamen dicitur velut
propinqua, nempe quia Deus de eius euëtu certò statuit,
debet illum habere & existimare quasi impendentem.

16 Quomodo enim bibistis. uti instruxistis cōsu-
rium & hilaria, propter excidium montis sancti mei,
sic & vos & omnes gentes haurietis calicem venenatū
& exitiale. Bibent omnes gentes iugiter. Iugiter
significat continuitatem expertem interruptionis: bibent,
inquit, donec pereant improbi qui apud illos sunt, quique
afflixerunt Israelitas. Jonathan sic reddidit, Nam sicut
exultastis propter plagam montis mei sancti, sic bibent
omnes populi calicem ultionis suæ iugiter. Et bibent &
absorbebunt. vox Hebreæ וְלֹא significat deglutire, si-

proverbiis. ver. 20. sū. 25. cut in Proverbiis, וְלֹא (deuorauit) sanctū. Et erūt qua-
si non sint. Ita penitus cōsumentur, ut iam nō cognosca-
tur locus eorum, perinde atque si nunquam extitissent.

12 Super filios Iuda. Duæ enim tribus Iuda & Ben-
Accessio. iamin, excepta Leuitica, quæ regnabant in Ierusalem,
4. Reg. ultim. & appellabantur Iuda, à Chaldaëis captæ sunt.

15 Quoniā iuxta est dies Domini super omnes
gentes. Apud Ieremiam legimus calicem Domini cum-
etis gentibus propinatum. Calix (inquit) aureus Baby-
lon in manu Domini inebrians omnē terram. Vniuersas
quippe nationes usq; ad Propötidem, Schyticumq; ma-
re, & Ioniū vel Ægeum Assyrii Babyloniiq; tenuerūt.
Ierem. 51. v. 7. legatur

Legatur Herodotus, & Græcæ barbaræq; historiae, ac vi
debitur quomodo sub Assyriis & Babylonis impletū sit
quod dicitur hoc loco.

Sicut fecisti, et cæ. hic est sensus quæ in Psalmis legi- psalm. 136. 1
mus, Memento Domine filiorū Edom in die Ierusalem,
dicentiū, Exinanite exinanite usq; ad fundamētū in ea.
Vnde & contra Babylonem mox imprecatur, Filia Ba-
bylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem
tuam quam retribuisti nobis, et cæ.

Quomodo enim bibistis. Sicut bibistis cū Baby-
loniis super sanctum mótem meum: Sic omnes gētes, quas
tecum, habebant Babylonij in præsidio, conuersæ contra
te, bibent & ita te absorbēbunt, ut sint Idumæi quasi nō
sint: Vel certe ipse gentes cum te absorbuerint, absorbēbū-
tur à Medis, & hoc circulo vindicta proceder, ut tu Is-
raelem, te Babylonius, Babylonum Medus ac Persa
consumat.

CHALD.

17 Et in monte Sion erit n Et erunt sancti, &
saluatio, & n erit sanctus: hi qui sunt de domo Ia-
& posidebit domus Iacob cob possidebūt opes po-
eos qui se possederant. pulorum, qui ipsos an-

18 Et erit domus Iacob tea possederant. Et erunt hi qui sunt
ignis, & domus Ioseph fla- de domo Iacob, validi
mma, & domus Esau stipu- la: & succendentur in eis &
la: & succendentur in eis & tanquam ignis, & qui
deuorabūt eos: & non erūt de domo Ioseph, poten-
reliquiae domus Esau, quia tes velut flama, qui au-
Dominus loquutus est. tem de domo Esau in-
firma tanquam stipula, & dominabitur ipsis, occidentq;
eos, et cæ.

Sclo. Iarhhi. ¹⁷ Eos qui se possederant. מִזְרָחֵם possessiones eorum, id est, facultates populorum, qui ipsos possederat.

¹⁸ Quia Dominus est loquutus: Id loquitur est Num. 24. v. 6. Dominus in numeris, De Iacob erit qui dominetur, et perdat reliquias ciuitatis, et cæ. su. 19.

Aben Ezra. ¹⁷ Et in monte Sion. Omnes gentes perinde erunt, ac si non fuissent, neque ullus erit, qui euadat: At vero in monte Sion erit salus. Porro hoc retulit Iaphet ad futurum tempus Christi, docttor autem Moses, ad dies Ezechiae, Rabbi vero Iesuah ad ædem secundam.

^{* sic emenda-} ^{dus est hic lo-} ^{autem *} ^{cus, pro, Ioseph.} ^{Esaum, Iacobo et Iosepho.}

^{Da. Kimhhi.} ^I Et in monte Sion erit salus. Quamuis plerique Israëlitarum perierint in captiuitate, nihilominus tamen ipsis erit adhuc insignis liberatio in monte Sion, ex quo demigrarāt. Et erit sanctus. Israëlitæ erunt sanctitas Domini, sancti enim erūt, nec erit inter eos deinceps incircensis aliquis et immundus. Et possidebit domus Iacob מִזְרָחֵם i. possessiones suas. Occupabunt ea quæ ipsi ab initio possidebant, ac præterea vicinos suos, terram nempe Idumæorum, Moabitaru et Pælestinoru.

^{g. Reg. 12.} ¹⁸ Et erit domus. Sicut ignis consumit stipulam, sic ipsi eos perdent et absument. Cum autem dicit, Domus Iacob & domus Ioseph, idem repetit, licet alii atque alii verbis. Domus enim Iacob vocatur domus Ioseph, à tempore quo diuīsum fuit regnum sub Roboam. Verum futuris temporibus in unum coalescet. Doctores autem nostri, quorum sit auspicata memoria, commentati sunt mentionem factam Iosephi, ex eo quod semen Esau non sit colla-

collapsurum nisi marte Iosephi vel posterorum eius.

Et erit domus Iacob. Et possidebit domus Iacob Accessio. sub Zorobabele et Ezra ac Nehemia post reditum à transmigratione Babylonica, eos qui se hereditate possederat. Et erit domus Iacob i. Iuda, ignis. Et domus Ioseph, hoc est, decem tribus, flamma: et regnum Idumæorū vertetur in stipula. Sic duo regna in unius sibi virga, iuxta Ezechielis 17. copulam, fœderata vastabunt Idumæam. Hier.

CHALD.

¹⁹ Et hæreditabunt hi qui o Arcem Esau et ad Austrum sunt o mótem qui incolunt cäpestria, Esau, & qui in cäpestribus, terram palestinorum. Philistim. Et possidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ & Beniamin possidebit Galaad.

¹⁹ Et hæreditabunt hi qui ad Austrum sunt. If Selo. Iarhhi. raelitæ qui versus terræ suæ Israëliticæ plagam meridionalem degebant, occupabunt montem * Esau qui est i. * Montem in angustiis Austri: incola vero campestrium, terram Pælestinorum, montem Ephraim, atq; Samaria quasi hære antea posseditario possidebunt. Et Beniamin possidebit Galad. Et filij Manasse, quorū erat regio Galad, effundent se ultra limites terræ Israel versus Orientem.

¹⁹ Qui ad Austrum. Hannégheb est nomē loci, aut Aben Ezra. sanè Austrina pars terræ Israëliticæ. Et qui in campestribus, habitat scilicet. Talis diuisio terræ Israel notatur in Deutero. In solitudine, et in montibus, et in campestribus, et in austro, et cæ. Et Beniamin possidebit Galad. Trans Iordanem.

Da. Kimhi. 19 Et possidebunt. Montis Esau possidebunt me-
ridiem i. terram planam. Nam montana Esau iacebunt
desolata æterno excidio. Et qui in cæpестribus Phi-
listim. Et regionis Palestinarum possidebunt campe-
stria & humilia: nec enim egebunt montibus ut se-
munt, tueanturque, vel etiam seminent, nisi velint,
nam planities & campestria sufficient. Et posside-
bunt regionem Ephraim, & regionem Sama-
riæ. Qui ab initio inhabitabant in monte Ephraim,
& Samarie, possidebunt Galaad, tuncq; non indigebūt
montibus, siue ad habitandum siue ad serendum, agris qui
sunt in planicie sufficientibus. Et Beniamin posside-
bit Galaad. Beniamin quoq; cuius limites fuerunt in
Iordan, ulteriora inde loca plana occupabit in terra Ga-
laad, quæ est trans Iordanem. Augescet enim limes eius
tota planicie Galaad, quæ est suæ hæreditati & sorti cō-
finis. Manassis autem cuius fuit terra Galaad exten-
duntur fines ultra, in Moabitidem & Ammonitidem.
Jonathan exponit istud, Et possidebit negheb, Et oc-
cupabunt incola Austris montem Esau. Significans Israe-
litas qui incolebant australē Iudeæ partem, hæreditariò
consequuturos montem Esau sibi vicinum, est enim ad au-
strum terræ Israel: Et habitatores campestrium terræ Is-
rael occupaturos Palestinam sibi finitimam. Quæ se-
guntur ita translatis, Et possidebūt urbes Ephraim, &
Samaria, domus autē Beniamin, incolas terræ Galaad.

Accessio:

Et qui in campestribus. Qui habitabāt in campe-
stribus (Liddam, Emaus, Dipholim scilicet, Nicopolimq;
significans) possidebunt Palestinos, quinq; urbes Pale-
stinorum

stinorum, Gazam, Ascalonem, Azotum, Accaron, Geth,
vel omnem illam plagam quæ iuxta actus Apostolorum,^{Aet. 9.}
Saronas appellatur. Hoc utrum factū sit Deus viderit:
potest enim ex parte per annos quingentos usque ad ad-
uentum Christi esse cōpletum, quod, sicut certissime scio,
quotidie completur in nobis & in regno Ecclesiæ con-
firmatur. Hiero.

CHALD.

20 Et transmigratio exer- P Populi huius filio-
citus p huius filiorū Israel, rum Israel, qui sunt in
omnia loca Chananæorum terra Chananæorum
vsq; ad Sareptam, & trans- usque, et cæ.
migratio Ierusalem, quæ in q Arcem Esau, Re- * Hiero. in
* Sepharad est, possidebit ci uelabiturque regnum Bosphoro,
uitates Austris. Domini apud omnes.

21 Et ascendent saluatores terræ incolas.
in montem Sion iudicare Esau, & erit Domi-
no regnum.

20 Et trāsmigratio exercitus huius. Jonathan ex- Selo, Iarhhi.
ponit, Trāsmigratio populi huius. Exercitus ḥn enim nō
secus ac ḥn significat exercitum ut in Esaiā, Et venit
Hierosolymam בְּחִזֵּקָה (cum exercitu) numeroſo, in gestis ^{Esa. 36. v. 2.}
Rabsaces: niſi quod hoc loco iod deficit, potest etiā signi-
ficare vallem, ut sit sensus, transmigratio vallis huius.
Filiorum Israel, et cæ. Transmigratio filiorum Israel,
qui ex decem Tribubus migrarunt in terrā Chananæoru
vsq; ad Sarephat. Et transmigratio Ierusalem. Filij
Iudeæ, qui emigrarunt vsq; ad Sepharad, possidebunt ci-
uitates Austris, quæ sunt in meridie terræ Israel. Cæterū
iuxta

iuxta interpretum sententiam, Sarephat est regnū quod vernaculē vocant Franciam. Ionathan autem exponit Sepharad Hispaniam.

21 Et ascendent. Principes Israelitarum, seruatores in montem Sion. Iudicare montem Esau. Se vindicare de morte Esau, propter ea, quæ cōmiserunt in Israelitas. Iudicare vernaculē Iustitier. Et erit domino regnū. Docet regnum Domini non fore ante perfectum quam

* Hæc dictio deest in nostro Targum.
Aben Ezra. se vindicauerit de Esau impio. Mons Esau, conuertit Ionathan, Arcem * magnam Esau, id est, Romam.

20 Et transmigratio. Doctor Moses exposuit **לְוִיכָמֵן** (quam vertimus exercitum) de exilibus, qui primi exularunt, quiq; **בְּגַדְלָה**. i.cæperunt exulare. At doctor Thren. 2. v. 8. Marinus dixit **לְזַעֲמִים** pro antemurali ut in Lamentationibus, tE luxit **לְזַעֲמָה** antemurale **כֹּסֶף** murus, hoc sensu. Occupata urbe occisum est quicquid in medio eius erat, quin etiam qui fugiebant non liberati sunt, præter paucos illos, qui erant in antemurali. Chananæorum. A magnis viris accepimus terrā Alemaniā esse Chananæorum, qui à cōspectu Israelitarum aufugerunt, dum illorum terras ingredierentur ac occuparent. Quin etiam Sarephat esse Franciam. Sed **כֹּסֶף** Ionathan filius Vziel transfluit Sepharad, Hispaniam. Hæc autem est captiuitas Titi, atq; hæc prophetia pertinet ad futura Christi tempora. Nam non recte censet R. Moses ipsos tunc fuisse dispersos è prima æde.

21 Et ascendent seruatores. Iudices nempe Israelis, ut eos iudicent qui superfuerint in monte Esau: Tuncq; zach. 14. v. 9. proculdubio erit Domino regnum, iuxta Zacharium.

Et eri-

Et erit Dominus in regem super omnem terram, quod de zach. 14. v. 9. venturis seculis intelligitur.

vana spes in-
daica.

20 Et transmigratio exercitus. **לְנַצְחָה** caret iod, idemq; Da. Kimhhi, est ac **לְזַעֲמָה** et si pertseri scribatur, cuiusmodi est in Regibus, Ad regem Ezechiam **בְּחַיָּל** (cum exercitu) multo, 1. Re. 18. v. 17. Transmigratio exercitus huius filiorum Israel. Israelite qui sunt dispersi in exilio. Omnia loca Chananæorum. Heb. אֶתְרָכָנָא. i. qui Chananæi, q. d.

Qui in exilium pulsi degunt apud Chananæos usque in ^{Inanis cōfola-} Sareptam (id est, apud Germanos Franciam) usque ad ^{tio sine Christo} possebunt urbes Austrinas, perinde atq; trāsmigratio Ierusalem quæ est in Sepharad. Ciuitates austri, id est, urbes Iuda, nam portio Iuda fuit in meridie terræ Israel. Vnde Ieremias, Ciuitates Austri clausæ sunt, nec est ^{Ierem. 3. v. 19.} qui aperiat. Dixit autem, Possebunt, de exilibus Hierosolymitanis, qui fuerunt ex filiis Iuda, qu. d. Ipsi in suas terras ac urbes reuertentur: aut de uniuersis propter Ierusalem quæ fuit in forte Iuda, & in qua omnes tribus Israel partem habebūt, uti scriptum est in vaticinatione Ezechielis. Et trāsmigratio exercitus huius. Trans- ^{Ezech. viii.} migratio Titi qui eos abduxit in exilium in Alemaniā & Sclauoniam, terras Romani imperij. Porro Sarephat vocant exteri Franciam, & Sepharad Hispaniam. Cines autem Ierusalem migrarūt in Hispaniam, alij vero in cæteras regiones iam commemoratas, quæ erant exditione Romani imperij, exulatum venerūt, seq; per illas diffuderunt: aliqui tamen eorum illinc sponte postea demigrarunt, & hodie versantur in terris Ismaelitarum. Tradunt autem in Cabala Alemanno esse Chana- næos,

Germani ex nāos. Nam à facie Iosue retrocedentes Chananei, sicut Chananeus o- scripsimus in librum Iosue, se proripuerunt in Aleman- rīginem traxe runt. quorum habitatores etiam nunc hodie appellantur Chananei. Ionathan exponit, Et transmigratio populi huius, filiorum Israel posidebit, et cæ.

Et ascendent seruatores. Rex Christus. & socij eius, septem pastores, octoq; principes. Iudicare mótem Esau. Ut ulciscantur Israélitas de illis omnibus in quibus vexati fuerunt. Ionathan vertit, Et ascendent seruatores ex monte Sion, ad iudicandum arcem magnam Esau. hoc est, urbem Romam. Et erit Domino regnū. Tunc solius Domini erit regnum: nam omnes cōfitebuntur regnum eius, ut commemoratur in prophetia Zachariae. Et erit Dominus in regem super omnem terram, in die illo erit Dominus unus, & nomen eius unum. Ionathan paraphrasticās transtulit, Et reuelabitur regnum Domini breui super omnes habitatores terræ, et cæ.

Accessio. Et trāsmigratio. Hunc sensum esse coniicio, Transmigratio Ierusalem, quæ in cunctis terminis regionibusq; est diuisa, urbes Austri.i.tribus suæ recipiet, ait Hiero. Et ascendent, et cæ. Apparet id esse completum, quum resaluti ex monte Sion, id est, ex Iudea, credentes in Christum, qui præcipue agnoscuntur apostoli, ascenderunt ut defendent montem Esau. Quomodo defendent, nisi per Euangelij prædicationem saluos faciendo eos qui crediderant, ut eruerentur de potestate tenebrarum & transferrentur in regnum Dei? Quod consequenter expressit addendo, Et erit Domino regnum,

gnum. Mons enim Sion Iudeam significat, ubi futura prædicta est salus, & Sanctum, quod est Christus Iesus: Mons vero Esau est Idumæa per quam significata est Ecclesia gentium, quam defenderunt. Hoc autem obscurum erat antequam fieret, sed factū quis nō fidelis agnoscat?


Hac Augusti. lib. 18.

De ciuitate Dei.

cap. 31.

Finis Commentariorum in Abdiam

Prophetam. Σὺν δέ:



EX IONA IOACHIMI PERIO-
NII IN LIBRO DE VITIS RE-
busque gestis Prophetarum Dei.

Lib. de Proph.
vita & inte-
ritu.

IONAS Prophetā Amathi filius, Seraptanus Sido-
nius. Epiphanius enim & Hieronymus atque adeo
Hebræi, eum Seraptanæ viduę filium, quem Elias ex-
citauit, volunt esse. Quod quemadmodum acciderit
per te legere poteris 3. Reg. 17. Hic igitur excitatus
cūm adoleuisset, ei Deus præcepit, vt Niniuen Assyriorum vrbem
maximam, veritatis nuntiandę prædicandęq; causa, proficisceretur:
diuinōque præcepto non parens, vt loppen Iudez portū venit, ibi
nauem soluentem in Tharsis inuenit, datoque nauo, consensu na-
ue, cum cæteris in Tharsis nauigauit. In mari autem vento ingenti
statim permisso Dei coorto, fors ei obtigit, vt in mari deiiceretur.
Verum Deus Ionam seruum suum non neglexit aut deseruit, sed in-
gentem pifcem parauit, qui illum excipiens deuorauit, non tamen
cōsumpsit, sed integrum ad tertium usque diem custodiuit in aluo,
quo ex ea saluum & incolumē in terram euomuit. Cum ab eo pe-
riculo liberatus esset, Deus ei iterum præcepit, vt Niniuen magnam
vrbem iret, & palam ac publice denunciaret omnibus intra qua-
dragesimum diem euersum iri ciuitatem. Tum Niniuitæ ieunium
publicè denuntiarunt, atnictosque fassis & ciliciis pœnituit flagi-
tiorum vita superioris, quod videns Deus eorum misertus est, nec
vrbem, sicuti constituerat, euerit. Quæ quidem Dei misericordia
maximum Ionæ dolorem attulit, vel ne apud Niniuitas mentitus vi-
deretur, quod absolute intra quadraginta dies vrbē euersum iri nū-
tiarat, vel quod intelligeret populum Israëlitici esse peritum.

Postea, vt scribit Epiphanius, in patriam rediit, quam sibi iam
incolendam non putauit, ne ciues sui sibi obiicerent
falsam suam de Niniue esse prædictio-
nem. Itaque cum matre Suram
profecitus in Saar habitauit,
ibique mortuus est, ac
sepultus in specu
Cenesei Iu-
dicis.

IONAS



IONAS CVM COMMENTA-
tariis Rabbinorū Selom. Iarhhi, Aben Ezra, & Da.
Kimbhi, Cald. item expositione, quatenus variat
ab Hebreo, Ar. Pontaco interprete.

C A P. I.

IT factum est verbum Domini ad Ionā
filium Amathi, dicens,
2 **S**urge, & vade in Niniuen ciuitatē ma-
gnam, & prædica in ea: quia ascendit malitia e-
ius coram me.

Et prædica in ea.) prædicationem, quam pronūtio. Selo. Iarhhi.
Hic Propheta vaticinatus est in Ieroboam filium Ioas, Aben Ezra:
scriptum est enim, Quod loquutus est Dominus per seruū ^{2. Reg. 14.}
seruū ^{versu. 25.} Ionam filium Amathi qui erat ex Gath, ha-be-
pher. Non autē admiratione caret, quī venire potuerit
in mentem sapientis, qui haud ignorabat Deum & eius
opera, fugere à conspectu ipsius, maximè cum ille ipse in
manu eius sit, gloriaq; ipsius omnia sint plena. Ac quo-
modo prophetarit is, qui refractarius erat mandato Do-
mini, scriptum enim est hunc esse Prophetam. Insignis
quidem ille (R. Saadius) respōdit ipsum profectum fui-
ſe Niniuen, atque in ea prædicasse, neque tamē huius rei ^{Exod. 2. v. 20.}
meminisse scripturam, per reticentiam sequenti loco simi-
lem, Vocate eum & commedat panem. Ego autem di-
E iij xerim

xerim istud ab eo esse dissimile, illic enim nulla erat ratio
cur commemoraret scriptura, an comedisset Moses nec-
ne, siquidem non ipsum vocarint, sed occurrerit Iethroni,
et eum sit alloquutus. Præterea si Ionas verbum Domini
impleuit, quare fugiebat? et dicebat, Propter hoc præ-
occupauit fugere in Tharsis: Vidimus sane Mosem
noluisse suscipere legationem Domini, ut educeret popu-
Infra cap. 4.
versu. 2.

Exed. 4. v.11. lum eius, quanto minus igitur Ionas profecturus erat ad
conuertendum Ninuitas? Ac sic dixerunt sapientes no-
stri illum quæsse gloriam filij. Verum ego nunc tibi signi-
ficabo mysterium. Quidam natura sua sine præceptioni-
bus versus componunt, alij egent doctrina, qui quemad-
Locus per ob-
rus. modum percipiunt disciplinam, sic possunt non percipere:
hi autem posteriores leuiores sunt prioribus. Omnes item

prophetæ, præter unum Mosem, ubi illustrasset eius fa-
ciam gloria Domini, in visionibus & somniis suam vati-
cationem acceperunt: propterea qd; dixi ab Abrahamo
patre nostro cum à Domino tentatus est, factum in pro-
gen. 22. v.10. phetia quod scriptum est, Et arripuit gladium ut im-
molaret filium suum, attendente aure eius ad promptè
obediendum. Postquam autem perlustrauit uniuersam
scripturam semper inueni quod ferè sonat fugere, cō-
psal. 139. v.7. structum cum dictione פָנִי facies, ut Quo à facie tua fu-
Iud. 11. ver. 3. giam? et alibi, Fugit lephte à facie fratrum suorum: Nec
tamen reperi in prophetia Ione quod fugerit בְּפָנֵי הָאָהָרֶן à fa-

*. i. à (loco qui cie Domini, verum הַמְלָכָה * de ad faciem Domini. Et
est) ad seu an- scriptū est 2. Reg. 3. v.14. Vixit Dominus exercituū, ad
mini, hoc enim cuius faciem sto. Et sane omnis locus qui recipit prophe-
tiam est coram, ab ad faciem domini. i. à conspectu præ-
faz signifi-
cate.

sentie

sentiæ Domini, ut in Genesi, A facie tua abscondar, nam Gen. 4. v.14.
facies terræ est coram Domino: ac proinde sequitur, Et ibid. ver.15.
exiit Cain ab ad faciem Domini. Præterea scriptū est, Et
introibunt in speluncas petrarum & in hiatus terræ à fa- Ezai. 2. ver. 21.
cie timoris Domini. Hic autē paulo infra dicitur Ionam
surrexisse, ut veniret Tarsum מִלְפָנֵי וְ, ab ad faciem Do-
mini. Qui intellectu pollent hæc percipient.

2. In Niniuen. Niniue erat regia Assyriorū, hodieq;
euersa est. Sapientes Israelitarum, qui sunt in Gracia, pu-
tant eam esse quæ vocatur * Virtus: quod ego haud scio. * Apud eundem
in Sopho. 2. le-
Porro nondum iubet Deus Ionam dicere Adhuc qua-
draginta dies, et cæ. sed tantum quod ascenderit mali-
litia, eorū coram se. Qui autem exponit Ionam timuisse Phrygiæ appelle-
lant Hebræi,
ne Propheta mendax vocaretur postquam Deum pœni-
tuisset mali, non recte sentit. Neq; enim hanc illi sen-
tentiam dixit ante secundum congressum: in eo enim scri-
ptum est, Clama clamore, quem ego loquor ad te, nempe, Ion. 3. ver. 2.
Adhuc quadraginta dies, et cæ. Præterea rebellis ne
fuisset Propheta verbo Domini timens ne eum falsum
vatem vocarent Ninuitæ? quid illud ei nocuisset, cum
non habitaret apud ipsos? Deinde Ninuitæ non erant
stulti. Cur enim Deus Prophetā suum ad eos misisset, nisi
ut ad Dominum cōuerterentur, adeo ut si non resipiscerent,
firmaretur in eos lata sententia Domini? Ac nisi
certò credidissent, quod Dominus pœnitidine ducendus
esset si resipiscerent, qua ratione vocare potuissent eum
pseudoprophetam. Consentaneum est autem illud, quod
piæ memorie maiores nostri tradiderunt, Ionam propter
Israelitas iratum fuisse, quod seruarentur Ninuitæ, atq;
ideo

^{Ion.3. ver.3.} ideo aufugisse. Et sane scriptum inuenies illud, Niniue erat urbs magna Deo, quod s. ab antiquo ipsi Deum timerent. Nam qui exponit magnam & pretiosam extitisse in oculis Domini, quod minus eam euerteret, aberrat à phrasī linguae Hebraicae, scriptum enim est, Magnifice-
^{2. Sam. 26. v. 23} tur anima mea in oculis Dei, non Deo, hic autem Vrbs Esai. 40. v. 17. magna Deo: Præterea scriptum est, Omnes g̃etes tanquam nihilum coram eo, neq; curat earum multitudinem. Itaq; expositio vocabuli n̄u Deo, est, quod olim timuerint Deum, verum tempore Ione inceperint prauè agere. Nam nisi ab initio Deo addicli fuisse, hanc-quaquam Prophetam suum ad eos misisset. Et certe videmus eos perfecta pœnitentia resipuisse, quāta alia non fuerit, cum non reperiatur scriptū ipsos aras Baalim fregisse, aut simus lachra succidisse, ut ex eo discamus illos non fuisse idolorum cultores.

^{Da. Kimhi.} 1 Et factum est verbum Domini ad Ionam. ^{2. Reg. 14. ver. 35} Huius Prophetæ non vidimus prophetiā preter hanc, quam vaticinatus est in Niniuitas: Inuenimus quidem vaticinationem ei attributam, sed non scriptam: Nam libro secundo Regnum dicitur, Ipse (Ieroboam) restituit terminos Israel, ab introitu Hemat usque ad mare solitudinis, iuxta sermonē Domini Dei Israel, quem loquens est per seruum suum Ionam filium Amithai Prophetam, qui (erat) de Gath-habepher. Estq; hac in re cōtrouersia inter doctores nostros, quorum fælix sit memoria, Ionas (inquiunt) quæfuit gloriam filij, nō autem patris: eum significantes studuisse gloriae Israelitarum, adeo ut fugerit extra terram (Israel) qui locus non est capax Prophetiæ, ne mitteret

mitteret ipsum Deus optim. max. Niniuen, nouerat enim eos esse faciles ad pœnitentiam, idq; Israelitis cesserū in pœnam: Gloriam autem Domini non procurasse, ac illud esse quod infra dicitur: Factum est verbum Domini ad Ionam secundò, secundò scilicet eum est allogutus & non tertio. Cui obiecerunt dicentes, Nonne scriptū est? Loquutus est per seruum suum Ionam filium Amithai prophetam. Verū soluerunt, de his quæ pertineret ad Niniuen, Deum nō nisi loquutum fuisse cum eo semel atq; iterum, at tertio minime. Illud autem Regum, Loquutus est per seruum suum Ionam filium Amithai prophetam, sic exponit, Quemadmodū versum est Niniuitis malum in bonum, sic temporibus Hieroboam filij Iosias commutatum est illis malū in bonum. Porro hic vates de tribu Zabulon fuisse videtur, nam Gath-habepher nomen est proprium urbis ipsius, quæ erat in sorte Zabulon, ut scriptum est, Pertransiit usq; ad orientalem ^{Iofu. 19. v. 13.} plagam Gath-habepher, Iitha-cazin. Potest autē quæri, cur hæc prophetia inter scripturas sacras adnumeretur, cum tota sit de Niniuitis qui populi sunt profani, nec in ea vlla fiat mentio Israelitarum, neq; ei similis reperiatur apud omnes Prophetas. Sed poterimus exponere eā fuisse adscriptam, Primo ut esset documentum Israelitarum, quod extranei qui non erant ex Israelitis facile se flexerunt ad pœnitentiam, ac prima concione, qua redarguit eos propheta, pœnitentia integra à malitia sua resipuerunt. Israelitæ verò, licet eos obiurgarent Prophetæ cum manè tūm vesperi, nihil omnigis tamen ab iniquitate sua sunt conuersi, Deinde ut notum faceret ingens illud

miraculum, quod edidit Deus erga Prophetam, qui tribus diebus ac noctibus fuit in visceribus piscis, idemque viuus, quemque postea euomuit piscis. Tum ut doceret Deum Optim. Maxi. misericordia duci pœnitentium, quacunque ex gente illi fuerint, ipsique parcere, maxime cum sunt multi.

^{infra cap. 3. vers. 4.} 2 Surge & Vade in Niniuen, & prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me. Non scripsit quidnam ipse prædicaret in ea: sed ex eo, quod ad extremum clamauit aduersus eam, Et Niniue subuertetur, discimus Deum mandasse, ut hanc prædicationem haberet aduersus eam. Quia ascendit malitia eius coram me. Docet Deum etiam prouidentia prosequi gentes profanas, & exteras, ubi per iniustitiam creuerit eorum malitia, ut videre est in atate diluvij, & in Sodomitis, de illis enim scriptum est, Repleta est terra violeta iniuritate. Talis enim perdit humanam societatem & habitationem huius mundi, in qua Deus opti. max. sibi placet. Verum in reliquis transgressionibus, non tanti fiunt ab eo, ut ipsorum tagatur prouidentia, sic prouidens solis Israëlitis, sicut ait apud Amos, Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognitionibus terræ, et cæ: quemadmodum etiam ex posuimus in eandem Prophetiam Amos.

^{Accessio.} Triduana mors Domini per Prophetas & prædicta est, & promissa, & impleta. Missus est Ionas ad ciuitatem Niniuen, ut eius finem prædiceret: missus est ^{CHRISTVS} à patre, ut finem mundi omnibus demonstraret. Fugit Ionas in Tharsis à facie Domini: Fuga Ionæ, velox transitus Christi, de quo dicit Prophetæ, Exultauit, ut gigas

gigas, ad currēdam viam. Ascendit nauem Prophetæ fugiens: Lignum Christus ascendit, per mare huius seculi transiens: Irruit tempestas magna in mari: perturbatio maris, perfidia Iudeorum. Data est sors ut Prophetæ fugitiuus in mare mitteretur: Sors data, est super Christi vestimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Proiectus est ē nauis in mare Ionas: mors Christi in cordibus gentium est collocata. Susceptus est à bestia prophetæ custodiendus, non comedendus. Audi hic ipsius vocem Christi per S. David, Non dereliques animam meam a ^{psal. 15. v. 10.} pud inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In ventre bestiæ marinæ positus oravit sanctus Ionas: In inferno Christus descendens mortuos suscitauit. Tertio die Prophetæ littori incolmis est redditus: Die tertia Christus de sepulchro surgens, super calos est exaltatus. Ad prædicationem Ionæ Prophetæ per pœnitentiam salvata est ciuitas: per Christi prædicationem sancta Ierusalem redempta est ciuitas. Hæc D. Augustinus lib. 2 de Symbolo ad Catechumenos, cap. 6. & fere eadē repetit Epist. 49. ad Deo gratias, quest. 6. Et lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 30. Ionas, inquit, Prophetæ non tam sermone Christū, quam sua quadam paſſione prophetauit: profecto aperiuit quam si eius morte & resurrectione voce clamaret.

Scit Prophetæ Sancto Spiritu ſuggerente pœnitentiam ^{Rom. 8.} gentium, ruinam esse Iudeorum: idcirco amator patriæ ſuæ, non tam saluti inuidet Niniue, quam non vult periire populum ſuum: exemplo Mofis & D. Pauli. Præterea ^{Exod. 2. ver. 10.} videns Ionas conprophetas ſuos mitti ad oves perditas ^{Rom. 9.} domus Israel, ut ad pœnitentiam populum prouocarent,

Fij Balaam

num. 24.

Balaam quoque diuinum de salute populi Israëlitici prophetasse: dolet se solum electum qui mitteretur ad Aſyrios inimicos Israël, & ad ciuitatem hostium maximam, ubi idolatria, ubi ignoratio Dei. Et quod maius est timebat ne per occasionem prædicationis sua, illis conuerſis ad pœnitentiam Israël penitus relinqueretur. Nouerat enim quod quando nationes credidissent, tunc periret dominus Israël, & quod aliquando futurum erat (tempore Christi) hoc ne in suo fieret tempore verebatur. Hæc Hieronymi in Comment.

CHALD.

3 Et Surrexit Ionas vt fu- ^a Vt fugeret in mare ne geret in Tharsis à facie Do- in nomine Domini Pro mini, & descendit in Ioppé, phetaret. & inuenit nauem eūtem in ^b In mare. ^b Tharsis: & dedit naulū ei^s, & descēdit in ea, vt iret cum ^c In mare, ne in nomi- & descēdit in ea, vt iret cum ne Domini vaticina- eis ī Tharsis à facie Domini. retur.

Selo. Iarhhi.

3 Vt fugeret in Tharsis. Mare cuius nomen est Tharsis, & est extra terram (Israël) Fugiam, inquit, in mare, quoniam diuinitas non habitat extra hanc terram: Sed dixit illi Deus, Vnius tu, sunt mihi nuncij tui similes, quos mittere possum post te, & inde te reducent: ve- luti si Sacerdos diceret seruo suo qui à se aufugit ingreſsus in latebras sepulchrorum, habeo seruos tui similes, ut mittam post te & per eos te inde retraham. Cæterū quid viderat Ionas, vt nollet Niniuen proficiſci? cogitabat sci- licet apud se, gentes paratas esse, ut reſpicerent, si ita- que (inquit) ipſis prædicauero & pœnitentiam egerint

reos

reos constitutam Israëlitas, qui dictis & exhortationibus Prophetarum audientes non sunt. Et dedit naulum eius. Dedit in primis prætium eius. Non est quidem mos descendentium in mare, prætiū nauis persoluere, antequam ad exitus locum appulerit, ipſe tamen prius dedit, nec eo contentus, totius etiam nauis numerauit mercedem.

3 Et Surrexit Ionas, et cæ. Dixit, insignis ille (R. Saadias) Tharsis esse Tharsum (Cilicia metropolim ac maritimum) sed R. Mebasser putat eam esse urbē Aphrica ^{* idem sentit Iosephus lib. I. antiquit.} quā vocant Tunes. Et dedit naulum eius. Non quide integrum pro tota naui, sed quod ipſe pro quota soluere debebat.

3. Et surrexit Ionas vt fugeret, et cæ. At quomodo Da. Kimhhi. efugere poterat? cum David dixerit, Quo à facie tua fu- ^{Psal. x39, v. 7} giam? Verum eadem non sunt טלפנוי . i. ab ante faciem & טפנוי . i. a facie. Nam cum hic propheta plenus esset sa- pientia & cognitione, quoniam pacto cogitasset fugere à facie Domini: Mens itaque ipsius erat fugere ab ante facie Domini, hoc est, à re quæ est in Domini conspectu, ut pote à spiritu Propheticō. Credebat etenim se haudquam prophetico spiritu afflatum iri, si terram Israël egrederetur. Propterea renuit hanc subire legationem, ita apud se cogitans, Hæc gens facilis est ad pœnitentiam, si itaque ad eos proficisci ex legatione Domini, haud dubium est quin à via sua prava resipiscant, idque reos con- stituet Israëlitas, quod ego & reliqui pp̄phet̄ ipsos assidue adeamus, legati Domini, ipſi vero à via sua peruersa non cōuertatur. Hæc obfuit causa cur nollet Domini legatio- nem inire, quemadmodū quoque exposuerunt fælicis me-

F iij moriae

moriae Doctores nostri, dicētes eū prohibitum fuisse, tūm quōd existimaret Diuinitatem non habitare extra terrā (Israel) tūm quia sciret illum populum proximum esse pœnitentiæ. Aufugisse itaque, ne ageret Israelitarum condemnationem. Verū Deum, ubi dixisset, se habere illi similes multos, excitasse ventum magnum super mare.

Ion. I. v. 4.

Porrò R. Barachias meditatur hunc in modum. Homo quærens fugere, ad id quod firmū est, cōfugit: Verū ecce adest qui configit, ad id quod fugit, instabilēque est, mare etenim fugit, nam dictū est, Mare vidit, & fugit, & tu (ô Iona) configisti ad mare. Ceterum Ionathan Chaldaeus interpres periphrasticōs exponit τὸν οὐρανόν, ab ante facie Domini, Ut ne in nomine Domini vaticinaretur. Et descendit in Ioppē. Ex sua urbe Gath habepher, vel Ierusalē descendit in Ioppē, quæ urbs in littore maris sita est, portusq; est nauium. Qui autē ingreditur mare vocatur descendens, quemadmodum scriptum est

Psal. 117. v. 23

in Psalmis, Descendētes in mare nauibus. Nam littus maris est locus depresso comparatione reliquæ terræ. Verū dominus pater meus, quem fælix faustumq; sit nominasse, putat hunc descensum usurpari habita ratione nauis, quæ est profunda & in quam descenditur, sicut hoc loco exprimitur, Et inuenit nauem & descendit in eam: sic quoq; infra dicetur, Et descendit Ionas ad latera nauis:

vers. 5.

quo modo & illud scribitur. Descendētes in mare in nauibus. Et inuenit nauē euntē in Tharsis. ḥ̄ accentum habet in ultima (ut sit Benoni.) Significat autē nauē paratā soluere, & tendere in Tharsum. Et dedit naulum eius. Promisit se daturum pretiū, quod par esset ipsi pendere:

dere: veletiā ab initio dedit illud. At in (libro Hebræorum) Deras traditur eum dedisse pretium totius nauis, ut festinaretur, nec alij mercatores mercésve expectaretur, quōd celeriter vellet profugere. Ac inde colligunt nemine ^{Omnes Prophe}
^{tæ diuites.} *Accesio.*

*Descendit in loppē. Ioppē * portum esse Iudea in Paralippomenav libris legimus, ad quem Hiram ^{* vulgo Puer-} quoque Rex Tyri ligna de libano ratibus transferebat, quæ Ierusalem terreno itinere perueherentur. Hic locus est, in quo usque hodie saxa monstrantur in litore: in quibus * Andromeda religata, Persæi quondam ^{* Ista temere à} sit liberata præsidio. Sed & iuxta regionis naturam de Valla lib. 5. montanis & arduis ad loppē, & campestria veniens, reprehendi prophetæ recte dicitur descendisse, & inuenisse nauem fūnem soluentē ē littore, & ingredientē mare. Dedit autem docet C. E. spē- ceus libro sa- crarum Heroi- naulum eius siue mercedē nauis, id est, subuectionis eius, dum, scholis in Tabitham, ut Septuaginta transtulerunt.*

CHALD.

4 *Et Dominus misit ventum magnū in mare & facta est tempesta magna & nauis periclitabatur cōteri.*

5 *Et timuerūt nautæ & clamauerūt singuli ad Deum*

Et opem implorarūt à diis suis, ex quibus cum vidissent nullum sibi esse auxilium, proiecerunt in mare vasa.

In fundum lateris suum, & miserunt vasa quæ nauis.

*erant in nauī in mare, vt alleuiaretur ab eis. Et Ionas descendit * ad interiora nauis, & dormiebat Heb. ad latera sopore graui.*

6 Et

6 Et accessit ad eum gubernator, & dixit illi, quid tu sopore deprimeris? surge inuoca Deum tuū si forte recogitet Deus de nobis, & nō pereamus.

Selo.larhhi. 4 Periclitabatur conteri. habebatur ac si iam confacta esset,

5 Nautæ. Dicuntur מְלֹחִים homines qui gubernant nauim. Singuli ad Deum suum. Erant enim in ea nau ex septuaginta nationibus ac populis.

6 Gubernator. רַב הַחֲבָל princeps nautarum seu proreta, nam etiam nautæ vocantur חֲבוֹלִים (q. funicularij) id est, sustollentes funes, scilicet, mali. Verum. R. Moses putat deduci à Gouernal. Quid tu Sopore deprime ris? quid tibi est ut dormias? nec enim nunc tempus est somni. Recogitet Deus. מְתַהּוּנָה est de significatione cogitationis, unde in Psalmis reperies, וְתוּנוּנָה Et cogitationes eius. Et apud Daniel, Rex (Darius) יְשִׁיחָה cogitabat.

Aben Ezra. 4 Et Dominus misit, בְּלֵיל id est proiecit, metaphorica est locutio, ut sit sensus: Deum proiecisse vētum è terra ne possent ad eā reducere (nauim). Istud enim accidit eo in loco quo mare iungitur flumini, qui locus est ut plurimum prope terras, talis enim perpetuo periculosus est nauibus. Quod vero hoc ita fuerit, satis testatur verba quibus vitur postea, Proiecisti me in profundū in cor maris et flumen circundedit me. Et nauis periclitabatur. Hebr. cogitabat se frangi, per prosopopeiam, qualis est apud Ezechielem, Terra cū peccauerit in me, &c.

Exech.14.v.13 5 Et timuerūt nautæ: מְלֹחִים sunt consulti periticque rei

rei nauticæ, iuxta illud, סְלַחְיָן gubernatores tui et nau- Eze.27.v.27. ta tui. At R. Iaphet putat ita dictos אֶלְפָטָל, id est, sale, ꝑ ipsi salem exportaret. Ad interiora nauis. אַל יַרְכָּתִי Indi.12.v.7. ad latera hoc est, ad unum ex lateribus nauis: sicut, Et sepultus est in urbibus * Galaad. Et dormiebat. Prä * id est, in una fastidio maris et aestu ipsius: forsitan enim nusquam a- urbium. lias nauim ingressus fuerat.

6 Gubernator. רַב הַחֲבָל maximus eorum qui erant חֲבוֹלִים (q. funicularij) id est, sustollentes funes, scilicet, mali. Verum. R. Moses putat deduci à solertia, acumina, in Prouerbiis. Recogitet. Prou.12.v.5. (inquit) יְחֻנָּת idem hoc loco significat ac in Psalmis, Perierunt Psal.146.v.4. Numerus dicatur עַשְׂרֵה, ꝑ in se contineat duas veluti supputationes, summariam et singulare: qua notione verbum cogitandi pro numerare etiam accipitur, Deus יְשִׁיחָה reputet seu numeret mihi. Psal.40.

4 Nauis periclitabatur conteri. Figura est ad locu- Da. Kimhhi. pletandam linguam, qua significat nauigatores cogitasse nauem fractum iri.

5 Et timuerunt nautæ. מְלֹחִים sunt hi qui apprehendunt et tractant remos. Ad interiora. אַל יַרְכָּתִי ad latera, hoc est, ad unum ex lateribus, ut, Et sepultus est in Iud.12.v.7. urbibus Galaad. Et apud Zachariam. Super pullo * filio Zac.9.v.9. filio * asinæ. asinarum.

6 Et accessit ad eum Gubernator. Maximus nau- tarum: nauæ enim appellatur חֲבוֹלִים quod trahat et remittant funes mali, prout ars eorum postulat, חֲבוֹל autem est nomen collectuum ad nautas, quemadmodum et Io-

nathan Chaldaeus Paraphrastes intellexit, dum vertit princeps nautarū: vel erit nomē substantiuum, formę id est, reliquia. Quo etiam modo erit collectiuum ad nautas. Ipse autem est praefectus ille qui gubernat nauim, ad cuius prescriptum nautæ & trahunt, & laxant funes. Recogiter. Heb. וְשָׁוֹנֵן placetur, quo sensu reperitur, Psal. 146. v. 4. Perierunt וְשָׁוֹנֵן cogitationes benevolentiae eius: sic Dan. 6. ver. 3. etiam Syriacè sumitur, ut apud Danielem, Et rex præfere eum וְשָׁוֹנֵן benevolè cogitabat. Ionathan transtulit, Sit misericordia:

Accessio.

Et Ionas descendit ad interiora, et cæ. Hoc dici potest ipsum consciū fuisse fugæ & peccati quo Domini præcepta neglexerat; & tempestatem ignorantibus cæteris contra se fœnire cernebat: ideo descendit ad interiora nauis, & tristis absconditur, ne quasi Dei vindices fluctus aduersum se videret intumescere. Quod autem dormit non est securitatis sed mæroris.

* i. quisque.

7 Et dixit vir* ad collegam suū: venite et mittamus fortis, & sciamus quare hoc malū sit nobis. Et miserunt fortis & cecidit fors super Ionam.

CHALD.

8 Etdixerunt ad eū: Indica nobis cui^o causa malū istud 8 Que prouincia tua? sit nobis: quod est opus tuū? Ex quonam es popuque terra tua? et vnde venis? pulo. vel ex quo populo es tu?

9 Et dixit ad eos, Hebreus ^b Iudeus ego. ^b ego sum, & Dominū Deū cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

7 Venite

7 Venite & mittamus fortis. Viderunt reliquas Selo. Iarhhi naues mari placido nauigare, suam autem propemodum frangi: dixerūt itaq; inter se, Istud cōtigit propter aliquē nostrū. Nam expositionem reperimus in capitibus R. Eliezer. Quare hoc malum sit nobis. Propter cuius nostrum scelera.

8 Indica nobis cuius causa. In quē peccasti, ut ppter ea malū nobis acciderit? Et vnde venis? Nā fortasse cōtra homines illius loci, decreta est pœna sententia. Ex quo populo es tu? Forfitan enim peccauit populū tuus.

7 Et dixit vir, &c. Sunt qui dicant fuisse tunc ibi a. Aben Ezra. lias naues, quæ egredi poterant, hanc autē solam in discrimine & periculo naufragij fuisse: ac propterea dixisse ad inuicem, Agite iaciamus fortis. Quare. Heb. בְּלֹת propter quem: actale est illud Samuelis, Percusit eum 2. Sam. 4. v. 6. Dominus הַמְּלָךְ by propter erratum.

8 Et dixerunt ad eum, &c. Qui exponit eos quæ si se ex quonam esset populo, & ex quanam terra esset, ut intelligerent, num lata esset in eos à Deo mortis sententia non loquitur consentanea. Si enim decernit Deus cōtra superiō contrā populum aliquem, licet in urbe nullum eorum ad rem Rabbinū fit in quos latum est iudiciū, sed alibi apud alios, quorū sum timebunt alij, tanquam mixti, propter eum in quem solū lata est interitus censura? Solent autem ut plurimum homines sua arte viuere, ac ars docet eorum statum & negotia, curq; ingrediantur & dirigant iter in aliū locum. Quædam etiam sunt regiones in quibus homines magna ex parte sunt boni, quemadmodum & hodie notum est.

9 Et dixit ad eos. Respondet illis ad postremum, se G ij esse

vnde dicti sue esse ex filiis Heber, qui vocatur Hebrei, quod sint definiunt Hebrei. de primi illius Heber, qui ut scriptum est in Genesi, fuit Gen. 10. v. 21. pater omnium filiorum Heber. i. Hebreorum: nec alium settimere, praeter Deum a cuius conspectu fugerit. Cœli autem, terræ, ac maris meminit, significans se pro comperto ac rato habere, ipsum ea cōdidisse et in omnia habere imperium.

Da. Kimhhi. 7 Venite & mittamus sortes. Hac in re mirandum est, quomodo ipsis in mentem venire potuerit, hanc ingenitatem tempestatem ipsis accidisse proprie homines, qui erat in nau. Quid enim? Nonne aliae erant naues in mari? aut homines ceterarum omnium nauium, quæ in illo ventis agitabantur, mittebant sortem, ut explorarent cuius causa illa calamitas ipsis aduenisset? Verum reperi in capitibus R. Eliezer summa quidem ipsis fuisse iactatos tempestate: Ceteras autem naues, quas habebant a dextris & sinistris pacatissimo mari tranquillè nauigasse transsequebantur, cum nauigium, in quod Ionas descendebat, versaretur in magna calamitate, adeo ut putaretur confingendum. Dixerunt itaque ad eum. Quare hoc malum est nobis? בְּאַתָּר לֹא pro id est, propter quem? Dixerunt (inquam.)

8 Indica quæsto nobis cuius causa malum istud sit nobis? Quia tu es ille es, propter quem irruit in nos haec calamitas. Indica quod est opus tuum? In quo scelere deprehensus es? qualis est ars tua? forsitan enim est ars fraudis & violentiae, propter quam tu reus es. Vnde venis? Fortasse aufugisti propter facinus quod illic patrasti. Quæ terra tua? fortasse incolæ terræ tue sunt impij

impij. Ex quo populo es tu? מִן-מִן men est seruile & veluti (per metathesin) transpositū, atq; si dixisset מִן-מִן id est, & ex quonā populo es tu? Vel etiā exponetur absq; metathesi, hoc modo, Populus ille ex quo tu es, quinā est? Num est populus exosus Deo Opti. Maxi. propter improbitatem suorum operum?

9 Et dixit ad eos. Duas ad res respōdet, facta ad interrogationem eorum responſione. Nam posteaquam dixit illis, Hebraus ego, notum habuerūt eius populum & terram: Vbi autem dixit Dominū cœli ego timeo, simul respondit ad illam eorum interrogationem. Quod opus tuum? Suum opus non esse opus doli, quin potius se Deum timere, nec ullum scelus comisiſe. Dum autem adiecit. Qui fecit mare & aridam, Propter tempestatem quidem ortam in mari, primum ait Deum benedictū fecisse mare, & ipsum eundem inieciſſe ventum procellosum in illud, quod et sedatus fit cū volet eosq; educitus in aridam. Deinde usurpauit de cœlis nomē Elohim vox Elohim Indicem sonat. & Deus eos ductat, regat, ac iudicet. Postremo de terra ait. Qui fecit, τώ� hoc est, Qui aptauit: Neq; enim ab initio accommodata fuit usui rerum creatarum, donec a- Gen. 1. quæ in unum locum congregatae fuerint.

Et miserūt sortes. Nouerant naturā maris, & tanto Accesio tempore nauigantes, sciebāt tempestatum, ventorūq; rationes: & utiq; si solitos, & quos aliquando experti fuerant, fluctus vidissent consurgere, nunquam sorte authorem naufragij quererent, & per rem incertam, certum cuperent euitare discrimen.

Indica nobis, &c. Notanda est breuitas quam Ver-

G iij gilius

gilius his carminibus expressit.

-iuuenis quæ causa subegit,
Ignoras tentare vias, quo tenditis, inquit,
Qui genus, unde domo, pacem ne hoc fertis an arma?
Interrogatur persona, regio, iter, ciuitas: ut ex his cognoscatur & causa discriminis.

Fecit mare & aridam. Eleganter ad distinctionem maris non terra sed arida nuncupatur. Terræ enim non men interdum generale est, ad totum terræ & aquæ globū: interdum speciale, ad illud elemētum cuius proprias qualitates esse ait Aristoteles frigus & siccitatem.

10 Et timuerunt viri timore magno, & dixerūt ad eum, quid hoc fecisti? Cognoverunt enim viri quòd à facie Domini fugeret, quia indicauerat ipsis Ionas.

11 Et dixerūt ad eum quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare, ibat & intumescebat super eos.

12 Et dixit ad eos, tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis, scio enim ego quod propter me tempestas hæc grandis venit super vos.

Selo. Iarhhi. 10 Quid hoc fecisti? Quare igitur factum est, ut fugeres à conspectu tanti Domini & Imperatoris?

Aben Ezra. 10 Et timuerunt. Per antithesim eius quod dixerat, Ego timeo. Et dixerunt illi, Quid hoc Fecisti? Hoc sensu, Quomodo fecisti istud, ut fugeres à conspectu Domini? siquidem, Ionas illis suum consilium aperuerat.

11 Quid faciemus tibi? Sensus est, Da nobis consilium quid agere debeamus. Et cessabit mare: Hebr. filebit

filebit (per metaphorā) sicut, Et lætati sunt quia filuerūt. Psal. 107. v. 30

12 Et dixit ad eos. Desiderat & querit mori potius quam Niniue ad Deum conuertatur. Neque vero id illic dixisset, nisi ex ore eorum, quòd essent cum eiecturi, intellexisset.

10 Quia indicauerat ipsis. Vbi ipse dixisset, Do- Da, Kimhhi: minum Deum cæli ego timeo, illi ista obiecerunt, Si ita est, quonam pacto hæc tempestas propter te accidit? Quibus respondit, Ego sum propheta, & miserat me Deus ad Niniuen, mihi autem molesti fuit & graue ad eos proficisci. Itaque ut fugerem à conspectu eius, egressus sum terram Israel, quæ est locus prophetiæ.

11 Quia mare ibat & intumescebat. Neque enim (inquiunt) speramus mare tranquillatumiri, cum magis ac magis crescat & intumescat. Et cessabit mare: filebit locus feruoris fluctuum eius: cui similis est illa phasis, Et gauisi sunt quia filuerunt. Propter me. Hebr. Psal. 107. v. 30

וְנִזְמַנֵּה significat ppter me, quasi dicat, ppter peccatum meum. Quid hoc fecisti? Si times Dominum, cur fugis? Si Accessio- tantæ potentia prædicas quæ colis, quomodo te putas eum posse euadere. Vel non increpat sed interrogat, volentes causam fugæ nosse.

CHALD.

13 Et remigabant viri ut i. Ut reducerent (na- i reuerterentur ad aridam & uem) ad aridam. non valebant: quia mare i- k Et orarunt Dominū bat & intumescebat super & dixerunt, Suscipe eos.

14 Et k clamauerūt ad Do- Domine ne nūc pereaminum & dixerunt quæsu- mus in peccato animæ viri

mus Domine, ne pereamus viri istius. Neq; nobis in anima viri istius. Et ne imputes culpam sanguinis super nos sanguinē in- nocentem: quia tu Domine Domine, sicut volūtas sicut voluisti, fecisti.

tua, (fuit) fecisti.

Selo. Iarhhi. 13 Et remigabant viri, יְהִי וְיַחֲרֵב fodiebant, hoc est, elaborabant, omnemque nauabant operam, tanquam fossores in foßione.

14 In anima viri istius. In iniuitate, quod mittamus manum in animam ipsius.

Aben Ezra. 13 Et remigabant. יְהִי וְיַחֲרֵב, eius expositio est (per plus quam perfectū) et iam foderant, ac uitur fodiendi verbo (pro remigandi) quod qui tractant remos, similes sint fossoribus.

14 Et clamauerunt. Crediderūt omnes in Deum exaltandum, conuersique sunt ad inclamandum eum. In anima pro anima, cui simile est illud, Et seruuit Jacob in Gen. 29. v. 20. (pro) Rachel. Sicut voluisti. Nam innotuerat illis propter Ionam, mare iactatum fuisse tempestate.

Da. Kimhhi. 13 Et remigabant. יְהִי וְיַחֲרֵב foderūt, hoc est, apprehenderunt remos, ut educerent nauim in continentē. Qui enim tenet remum, eumque agitat in mare, est veluti fossor, quod Jonathan exposuit. Et remigabant. Illud autem quod ait, Ut reuerterentur, eò spectat quod nauis discedat ab arida, unde cum exit in aridam, dicitur ad eam reuerti.

14 Et clamauerunt. Sensus horum verborum satis ex se constat. Quæsumus. הָנָא scribitur per He, נָא autem, innocens, per Aleph, ut mos est habentium Aleph radicale

cale (i. quiescentium Lamed Aleph) ut נָא prepositus, propheta.

Et remigabant, &c. Nitebantur reuerti ad aridam Accessio: ne sanguinē funderet, Neve violarent Prophetam Dei.

CHALD.

15 1 Et tulerunt Ionam, & 1 Et acceperunt Ionā miserunt in mare. Et stetit à et iniecerunt eum in feruore suo.

16 Ettimuerūt viri timore magnō Dominū & immo- 2 m. Et dixerunt se sa- lauerūt hostias Domino & crificaturos sacrificium vouerunt vota.

16 Vouerunt vota. Quod si fuerint proselyti. Selo. Iarhhi.

15 A Feruore suo. יְהִי ab ira sua, metaphoricas, ut Aben Ezra. in Genesi, et erant מִפְּנֵי וְיַחֲרֵב irati.

Gen. 40. v. 6.

Da. Kimhhi.

16 Et immolauerunt. Postquam exierunt.

15 Et tulerunt, &c. Hæc non indigent expositione.

16 Et immolauerūt hostias. Quonam pacto obtulerūt sacrificium in nauī? Verum eius expositio accipienda est, iuxta Chaldaēam ipsius paraphrasim, Dixerunt se sacrificaturos Domino. Vouerunt vota. Nempe alia vota præter sacrificium, ut verbi gratia, errogare elemosynam pauperibus.

Et immolauerunt hostias. Eas certè in mediis flu- Accessio. ctibus non habebant, sed quia sacrificium Deo est spiritus psal. 50. v. 19. contribulatus. Et in alio loco dicitur, Immola Deo sacri- psal. 49. v. 14. ficium laudis, et redde altissimo vota tua. Et rursum, Reddemus tibi vitulos labiorum: Idcirco in mari immo- osae. 14. v. 3. labant hostias, & alias sponte promittunt, vota nuncupā-

H res

ees se nunquam, ab eo quem colere coeperant recessuros.

C A P. I I.

1 Et præparauit Dominus piscem grandem, ut deglutiaret Ionam, fuitque Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus.

Selo. Iarhhi. 1 Piscem grandem. Vox Hebræa terminationis Commentum mascul. indicat istum piscem fuisse marem: Atque ita est Rabbincum cum (Ionas) esset in latitudine & spaciose ageret, antiquo & similiter non adiiciebat ad orandum: Innuit itaque Sanctus quanta cæcitas ex parte contigit illi Deus benedictus pisci, ut euomeret eum in medium gerit in Israël oris piscis fæminæ, quæ grauida erat fœtibus, fuitque ibi aparet. Rom. 11 Ionas in angustiis, ac tum demum orauit, quoniam dictum est postea (eum orasse) de ventre, seu visceribus פָּנָג (in terminatione fæminina). i. piscis fæminæ.

Vers. 2. Aben Ezra. 1 Et Præparauit. dictio וְיַד sonat præparationem. Fuitque Ionas. Homo non potest viuere in visceribus piscis, vel horā, quanto igitur minus per hūc numerū (diem noctiumque)? Verum id permiraculum factum est.

Da. Kimhhi. 1 Et præparauit Dominus. וְיַד est de significatione Dan. 1. v. 10. præparationis, sicut & apud Danielem, Qui יְהוָה præparauit cibum vestrum. Deus itaque præparauit eum in momēto, nam eadem ipsa hora, qua proiectus est Ionas in mare, destinauit piscem, ut eum absorberet, ne immergetur pelago: quod fuit unum ex miraculis. Cæterum in capitibus R. Eliezer, R. Tarpon ait, iam à sex diebus orbis conditi præparatum fuisse piscem, qui Ionam deglutiaret.

Accessio. Per piscem grandem, haud dubium quin cetum significet. Nam eum Septuaginta interpretes, & Christus

in Euangelio, vocant cetum, rem ipsam breuius explicant. Math. 12^a Huius autem loci mysterium, Dominus in Euangelio exponit.

2 Et Oravit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.

3 Et dixit, Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudiisti vocem meam.

4 Et proiecisti me in profundum, in cor maris, & flu men circundedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.

5 Et ego dixi abiectus sum à conspectu oculorum tuorum. Verumtamen rursus videbo templū sanctū tuū.

6 Circundederunt me aquæ vsq; ad animam, abyssus vallauit me, pelagus doperuit caput meum.

7 Ad extrema montium descendit, terræ vectes con cluserūt me in æternum: & subleuabis de corruptione

CHALD.

^a Ex inferiori abyssō precatus sum, petitio nem meam implesti.

^b Propulsus sum à verbo tuo.

^c Ad mortem usque.

^d Mare caricis apensum fuit capiti meo.

^e Ad radices mótiū descedi, terra serrauit roboras sua super me in æternū. Et abste hoc impetratur, ut atollas ab

interitu vitam meam, ô Domine Deus mi.

Cum deficeret in me anima mea, cultus Domini recordatus sum.

Hij ^e Non

8 Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

9 Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt.

10 Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcumque youi reddam pro salute mea Domino.

11 Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.

Selo, Iarhhi. 3 De ventre inferi clamaui. De ventre piscis qui mihi est instar inferni.

4 Omnes gurgites tui & fluctus tui. Omnes tempestates & aestus ipsius maris: appellatur autem מִתְבָּרִים, propterea quod fluctus frangunt finduntque mare. Et ego dixi. Cum precipitem me dederunt in mare, (dixi) En ego morior, eiectusq; sum à conspectu oculorum tuorum.

5 Verumtamen. Ex eo quod vidi, te omnibus istis diebus me saluum valentemque reddidisse, intellexi me iterum visurum templum sanctum tuum.

6 Pelagus operuit caput meum. רַאֲוֹנָה לְרַאֲוֹנָה. carex implicatus capiti meo, id est, mare carectosum (Latinis rubrum) pender supra caput meum: Dominus enim ostendit illi mare caricosum, quoque modo traiecerent Israelitæ per medium eius. Nam gemini oculi piscis erant

erant velut duæ fenestræ, per quas ipse prospiciebat & intuebatur omnia quæ erant in mari.

7 Ad extrema montium descendi. Cum ad finem usque dimensionis montium, qui fixi sunt supra abyssum, descendisse, ego dixi, Terra vectes me concluserunt בְּעֵדֶר, ex aduerso mei, supra me est claustrum quod nunquam sum egressurus, בְּעֵרִי. i. super me, ut, Et claude ianuam בְּעֵרָה super te. Ac eiusmodi est, omne בְּעֵרִי in scriptura, sicut, Cutis בְּעֵרִי (pro) cute, id est, membrum ex aduerso 1ob 4. v. 4. mēbri. In æternū. Couertitur ad illud quod paulo antea dixerat. Et ego dixi abiectus sum. Et ego (inquit) dixi, Vectes & repagula terræ occlusi sunt super me in versu 6. perpetuum. Et subleuabis de corruptione vitam meam. Iam hic quidem vidi gehennam: attamen me in- *Id est subdu- de* subduxisti, ac nūc sum ē regione, subter templū Hie- ces præter. pro rosolymatum, prout dictum est, Veruntamen respiciam futuro. versu 5. ad templum sanctum tuum: & illud, Veniat ad te oratio versu 8. mea ad templum sanctum tuum.

8 Cum Augustiaretur. Cum deficeret, cui simile est in Psalmis, Animæ eorum in ipsis קְרֻבָּה deficiet, & in Lamentationibus, קְרֻבָּה cū deficeret parvulus et lactes. Psal. 107. v. 5. Lament. 2. versu 11.

9 Qui custodiunt vanitates frustra. Populi huius mundi qui colunt idola. Misericordiam suam derelinquent. i. timorem seu cultum Dei Opti. Maxi. à quo omnis erga eos beneficentia & bonum proficitur, deserunt. Ego vero non sic me gero, sed voce laudis & confessionis sacrifico tibi: sicque exposuit Ionathan. Cæterum in capitibus suis R. Eliezer id refert ad nantas, qui deseruerunt pietatem suam, qua benè afficiebant idola sua

¶ profelyti facti sunt (conuersi. s. ad fidem Ionæ.)

10 Pro salute mea dabo Domino. יְהוָה שָׁלֹשׁ סַלְעָם
lalus Domini: vota pacificorū, ¶ cōfessionem persoluam,
propter salutē quæ est Domini: יְהוָה וְאַתָּה
perinde valet
¶ Psal. 44. v. 27 ac פָּעוֹת לֵב i. ad salutem, ut in Psalmis, Surge (Deus)
auxilium nobis, promovet in auxiliū nostrum.

Aben Ezra. 2 Etorauit. Interpretes huins loci dum volunt noua
commentari, traducunt scripturam à suo simplici ¶ ger-
mano sensu, quasi Ionas non nisi orauerit post exitum
suum in aridam, quòd inueniāt dictum esse, De visceri-
bus, ¶ non, In visceribus: Neque vident ibidem si-
militer scriptum esse, De ventre inferi clamaui, ¶ sic
ver. 3. ¶ Psal. 130. v. 1. alibi, De profunditatibus clamaui ad te Domine. Pra-
terea vox Clamaui, satis declarat Ionam preces fu-
disse, ¶ clamauisse ad Dominum, priusquam piscis eum
euomuisset, cui consonum est etiam illud, Et venit ora-

* Quod Hiero- ny. vertit, su- eò quòd proditū est, Et ascendere * fecisti de corru-
bleibus, per ptione vitam meam. &, Venit * ad te oratio mea.
Gen. 48. v. 22. prophetico, ut cum Jacob dixit, Do tibi partem vnā, ex-
tra fratres tuos, quam Tuli (i. feram et accipiam) de ma-

nu Amorrhæi: Rem enim quæ decreto Domini est euen-
tura, narrat (scriptura) per præteritum, ut, Et inclinavit
Num. 24. v. 17 (Isachar) humerum suum ad baiulandum: ¶, Processit
Deut. 32. v. 15. stella de Jacob: Et impinguatus est dilectus, et recalcitra-
uit: Et vidit Dominus ac irritatus est: Et habitauit Is-
rael confidenter solus. Sic in oratione Davidis dum ipse
fugerer

fugeret, Et exaudiuit me de monte sancto suo: ibi etenim Psal. 3. ver. 5:
Epigraphe præfert, Dum fugeret ipse, non autem, post-
quā ipse fugisset. Sed et in ipsa precatione Ionæ (legitur)
Rursus videbo templum sanctum tuum: nempe cælum,
ut significat Abacud dum inquit, Dominus (est) in Abac. 2. v. 20
templo sancto suo: ¶ alij multi similiter. Ac hic etiam
scriptum est, Salus Domino, (non quidem qua iam poti-
retur sed) quam expectabat: designans salutem à Domi-
no esse querendam. Nō desunt autem qui dicant, pīscem
fæminam deglutisse marem: quod tamen non est necesse
רָנָה enim et נֶזֶב (quæ pīscem significant) sunt nomina spe-
ciei veluti נְצָרָה ¶ צְדָקָה i. iustitia.

3 De ventre inferi. נָאוֹן Locus est profundus oppo-
situs cælo, qui est locus mundi superus. In cor maris.
¶ plurale, pro singulari, sicut in Exodo, In fluviis (pro
Exod. 7. v. 19. in fluvio) eorum.

5 Abiectus sum à conspectu oculorum tuo-
rum. id est cælorum.

6 Usque ad animam. Quousq; peruererit anima
mea ad mortem. Iaphet autem tradit mare carectosum
(seu rubrum) cōmiseri cum mari Ioppe, ut נִסְתָּר sumatur
sicut in Exodo, Et posuit eum in נִסְתָּר (mari carectoso) ri- Exod. 2. v. 3.
pæ fluminis, quòd non longè distet.

7 Ad extrema montium. קָצְבָּי sunt loca in quibus
finduntur montes, ex deriuatione verbi, Et קָצְבָּי excidit 2. Reg. 6. v. 6;
lignum. Et terræ vectes. Et terra suos obdidit pessu-
los super me, ne ad ipsam regredi possim. Subleuabis de
corruptione vitam meam. Figuratè hoc dicit de ani-
ma sua, quæ haud dubie est vita ipsius.

8 Cum

8 Cum angustiaretur. vox קָרְבָּלָה est hoc loco eiusdem significationis, atq; in Psalmis, Cum קָרְבָּלָה id est, anxius fuerit.

9 Qui custodiunt. טַבְרִים verbum est transituum (i. custodire faciētes.) Cuius sentēcia referitur ad nautas, qui non tantum clamabant ad ipsum Deum, sed etiam alij alios redarguebant. Misericordiam suam. חֶסֶד benignitatem suā, qua existimabant se misericordiā p̄rā stare: vel significabit abominationem, ut חֶסֶד הוֹא id est, abominatio est.

10 Quæcunq; voui. In visceribus piscis.

11 Et dixit Dominus pisci. Est metaphora, quod coegerit illum Dominus exequi voluntatem suam.

Da. Kimhhi. 2 Et orauit Ionas. Insigne fuit miraculū, eum viuum mansisse in visceribus piscis, tribus diebus et tribus noctibus. Sed & aliud extitit portentum, quod non fuerit animo perturbatus, quin perstiterit in mente sua, & intelligentia, atq; orauerit. De ventre piscis, רָנוֹת nota fæminea, idē quod גָּדוֹ masculine genere: reperitur enim in utroq; sicut, Et גָּדוֹ pisces, que in flumine morietur. Author tamen libri Deras commentatur (piscem hunc) fuisse fæminam. Litera vero mem diccionis עַזְבָּן non est loco Beth, seu præpositionis in, sed significat eum ē media tribulatione preces ad Dominum fudisse: cuius etiam rationis est illud, De ventre inferi clamaui: & in Psalmis, De profunditatibus clamaui ad te Domine: & alii, Ex angustia inuocari Dominum.

3 Et exaudiuit me. Ex quo viuus permanebat, de visceribus piscis sese exiturum saluum intellexit

4 Et

4 Et flumen circundedit me. Flumen quod ingreditur in mare. At R. Abraham Aben Ezra exponit, accidisse in eo loco in quo mare iungitur flumini. Omnes gurgites tui & fluctus tui. Fluctus cūm franguntur, quo tempore æstuat mare, vocatur סְטְבָרִים q. d. confractioes.

5 Et ego dixi abiectus sum. Tum enim cum me præcipitem dederunt in mare, existimauit me mortuum, & abiectum à conspectu oculorum tuorum q. d. à tua erga me prouidentia, adeo ut cogitarem te oculos tuos & faciem tuam à me abscondisse. Nunc vero cum hoc tam ingens portentum erga me excrucieris, ut etiam viuam in visceribus piscis, sat scio, me iterum visurum templum sacrosanctū tuum in aede sanctuarij: teq; adhuc ad locum Prophetiae, & tuæ prouidentiae me reducturum, tametsi ab eo aufugerim. Porro (hoc loco) videre seu respicere ex aduerso templi, idem est ac orare.

6 Circundederunt me aquæ usque ad animam. Cinxerunt me aquæ, adeo ut propemodū animā meam à me exhalauerim, interea dum absorbiuit me piscis: Cui simile est illud, Venerunt aquæ usq; ad animam. Pelagus psal. 62. v. 25 operuit caput meum. סְוִיר (quod Hiero. vertit Pelagus) est iuncus, cuius una species crescit in littore fluminū aut maris, à qua nōmē habuit mare קָרְבָּלָה (caricis seu correctosum) quod in eius littore crescat copiosa carex. Altera crescit in fundo maris ad radices montium, ac ea est quam vocant barbarè Algam: estque tenuis & oblonga, ubi Hieroni. gua, quæ etiam inuoluitur capitibus pisciū: atq; illud est pelagus opera ruit caput quod significat dū ait, Carex* implicata est capiti meo. meum.

I Verum

Verum expositio rōū Capiti meo, hoc est, capiti piscis qui deglutiuit me. Ille etenim ipsi erat instar capitū, quandiu extitit in eius visceribus. Sunt autem qui expōnāt ḥD mare rubrum, quod aiunt cōmiseri cum mari Ioppe. Quē sensum sequutus est Ionathā, Mare (inquit) caricis apensum fuit capiti meo.*

*Caricis.

7. Ad extrema montium descendī. Vsq; ad extremitatem imam montiū qui sunt in mari, quasi dicat, *Ad mōtiū radices que h̄eret fūdo maris: בְּצֶבֶת enim et וְעַד vñū idemq; sunt: Sicq; trāstulit Ionathā. Ad radices montiū descendī. Terræ vēctes concluserunt me in æternū. Iam ab initio cogitabā terrā quæ arida est, super me suos vēctes protendisse, id est, seſe in longum proiecisse super me, ne in eam vñquam egrederer, utque mare mihi esset sepulchrum. At vero cū ego viuam intra viscera piscis, sat scio, te vitam meā à sepulchro renocasse (fouea enim seu corruptio h̄ic sepulchrum significat) meq; redditurum in continentem terram. Domine deus meus. לְלוֹה, (q. iudex mi) qui iudicasti me secundum ius. Porro, h̄ac Ionathan ita conuertit, Terra protraxit robora sua su- * i. hoc abs te imperetur. per me in perpetuum, & tu fac appropinquare* coram te, ut subducas ab exitio animam meam.*

* i. hoc abs te imperetur.

Psal. 107. v. 5.

8. Cum angustiaretur in me anima mea. H̄ec locutio usurpatur ad significandam grauitatem angustiae, qua anima hominis contrahitur: cuius generis exemplū est in Psalmis, *Anima eorum in ipsis ḥvynn angustia- bitur. Ait itaq;, Vbi anima mea fuit in angustiis, quod piscis me deglutiūisset, tūm primum reputauit me velut mortuum, nihilo tamē minus Dñi recordatus sum, & ad*

eum

eum preces effudi. Ut veniat ad te oratio mea. id est, Et venit ad te oratio mea. Posteaquam ita me viuum derelictum sensi in visceribus piscis, satis inde intellexi orationem meam ad te peruenisse. Ad templum sanctum tuum. Cælum videlicet. Quo modo ε& alibi di- citur, Dominus in templo sancto suo: ε&, Dominus in cœ Psal. II. v. 4. lis aptauit solium suum: Sic etiā in libro Paralipomenov, Psal. 103. v. 19. 2. Paral. 30. Et venit oratio eorum in habitaculum sanctum eius in versu. 27. cœlos.

9. Qui custodiunt vanitates frustra. Nauigatores qui erant cultores idolorū, ε& custodiebāt vanitates inanitatis, sat scio, postquam liberati fuerint ab angustia, deferent pietatem suam, qua timebāt Dominum, et clama- bant ad eum, eq; vota nuncupabāt, nec rata ac firma facient quæ ipsi voverunt, quin ad cultum deorū suorum reuertētur: Ego vero non ita. Nam In voce laudis im- molabo tibi. Cæterum vox מִשְׁמָרִים non est verbum * contra Aben * transituum in tertium, sed idem est ac סֻמְרוּם custo- exram. הדָסְמָן וְעַבְדָו ex (loco Leuitici) אֲבֹנִי. Abominatio est: Atq; si diceret, re- linquēt idola sua, que sunt abominatione et nequitia. Sicq; reperies in capitibus R. Eliezer, Postquā (inquit) nauigatores viderūt, ubi peruenissent Niniuen, omnia portenta quæ Deus erga Ionam ediderat, constiterunt, ac proiicientes singuli Deos suos in mare (Nam dictum est Custodien versu. 8. τες vanitates inanitatis סֻמְרוּם abominationē suam reliquerunt) reuersi sunt in Ioppen, cōsideruntq; Hierosolymam, atq; circundederunt carnem præputij sui (di- cētum est enim, Et timuerūt viri illi timore magno Domi- Cap. 1. v. 16.

num, & sacrificarunt sacrificia Domino, siquidem obtulerunt sacrificium, id est, sanguinem fæderis circuncisionis, qui est instar sanguinis sacrificeionis. quin etiam voverunt singuli, se adducturos uxores, filios. omnes denique suos ad timore Domini Dei Iona, & vota quæ nuncuparant persolverunt: Itaque istos profelytos, vocant profelytos iustitiae: Ceterum Jonathan ita conuertit, Non sicut populi cultores idolorum, qui ubi ipsis benefactum fuerit, non agnoscunt.

ro Ego autem in voce laudis. Quia confitebor tibi voce confessionis in medio Ecclesie, & sacrificabo tibi hostiam laudis sicut voni. Pro salute mea Dño. Hebr. Salus Domini: cuius talis est sensus, Et dicam salutem esse Domini solius, qui me incolorem seruauit insigni miraculo, quod mea causa edidit.

ii Et dixit Dominus pisci: id est Excitauit illius appetitum, ut in continentem eum euomeret.

Accessio. Non ignoro quosdam fore quibus istud in credibile et antiquæ esse videatur. Qui utique si fideles fuerint multo credere maiora tenentur: omniaque diuina miracula credenda sunt, aut hoc cur non credatur causa nulla sit. Sin infideles erunt, legant quindecim libros Nasonis Metamorphoseos, & omnem Græcam, Latinamq; historiam: ibique cernent vel Daphnem in laurum, vel Phætonis sorores in populos arbores fuisse conuersas, & cetera in quibus ipsa turpitudo fabularum, diuinitatis de negat sanctitatem. Et cum turpibus credat, potentiaque Dei uniuersa defendat, eandem virtutem non tribuunt & honestis. Ex Hiero. & Agust. epist. 49. q. 6.

De

De ventre inferi. Ventrem inferi aluum ceti intelligamus, quæ tantæ fuit magnitudinis, ut instar obtaineret inferni: refertque D. Augusti. apud Carthaginem conspicere in loco publico, fixas costas belluae marinae tantæ magnitudinis, ut venter quem illæ munirent, multos homines in suo spacio capere posset.

Videbo templum sanctum. Exoptantis vel confidentis affectu, desiderauit in profundo mari positus, videre templum Domini.

Cum Angustiaretur. Cum (inquit) nullum aliud sperarem auxilium, recordatio Domini mihi fuit saluti, iuxta illud, Recordatus sum Domini & latatus sum: psal. 76. quicquid impossibile videbatur, Domini recordatione superatum est.

C A P. III.

CHALD.

1 Et factum est verbū a Do. mini ad Ionā secundō, dicēs. Domino.

2 Surge & vade in Niniue ciuitatem magnam, & prædicab in ea prædicationem eam, prophetiam quam ego loquor tecum.

3 Et factum est. Iam secundō.

2 Surge. Hæc docent Ionam non profectum in viam Aben Ezra: quæ longe abessebat à Niniue: ut siquidem secundō ipsum (Deus) legasset, ad eam proficiseretur.

1 Et factum est verbum Domini ad Ionam secundō. Iam supra exposuimus שׁוֹר secundō significare secundam vicem.

2 Quam ego loquor ad te. Quam iam dixi tibi, Iij nunc

nunc iterum loquor ad te, ut prædices Niniuen subuentam propter malitiam ciuium. **CHALD.**

3 Et surrexit Ionas, & abiit ^c Et clamauit (velut in Niniuen, iuxta verbum voce præconis) dixit-
Domini (Et Niniue erat ci- que, In fine quadragin-
uitas magna Dei itinere triū ta dierum & Nini-
dierum.) ue subuertetur.

4 Et coepit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, ^c & dixit, Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.

Selo. Jarhhi. **4** Subuertetur. In vastitatem redigetur.

Aben Ezra. **3** Et Surrexit. R. Iesuah tradidit, nautas profectos fuisse Niniuen, & adnuntiassè quæ euenerant Ionæ, propterea que eos credidisse. Dictione autem מִנְיָהֶן Dei, Cap. 1. ver. 1. iam supra exposui. Itinere trium dierum. Per ambitū scilicet ciuitatis, ut esset iter vnius diei ab urbis uno extremo ad extremū alterum: aut concionando, non nisi iter vnius diei progressus est, ut propterea (subiiciat) Et coepit Ionas, ^c &c. Sunt autem qui versam (Nam כַּפֵּן vertere etiam significat, nedum subuertere) fuisse Niniuen intelligent ab operibus suis prauis. Sed hæc allegoria non quadrat: quin potius comminatio est, qualis apud

Ier. 18. v. 6. Ieremiam, Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud.

Da. Kimhhi. **3** Ciuitas magna Dei. Id omne quod vult (scriptura) intendere, ac augere, iungit nomini Dei performulam & 80. v. 11. auxefas: qualia sunt, Sicut montes Dei: Cedri Dei: Canti. 8. v. 6. Flamma Dei: Caligo Dei (i. densissima.) Ier. 2. v. 31.

4 Et

4 Et coepit Ionas. Vrbs enim patebat iter trium die- rum, ab una extremitate ad alteram usque. Cœpit autem Ionas ingredi urbem, ad iter vnius diei: Dumque iret per urbem clamabat dices, Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur, alludens ad subuersionem Sodoma & Gomorrhæ, facta enim ipsius, similia erant o- peribus sceleribusque istorum.

Ciuitas magna. Tanti erat ambitus, ut vix trium Acces- sione posset itinere circumiri. At verò Ionas præcepti & superioris naufragij memor, viā trium dierum vnius diei festinatione compleuit. Hier.

5 Et crediderunt ^d viri Nini ^d Crediderunt viri uitæ in Dominum, & præ- Niniuitæ verbo Do- dicauerūt ieunium, & vesti mini. ti sunt saccis à maiore usque ad minorem.

Et crediderunt. Simile est illud, Et credit populus, Aben Ezra. Exod. 4. v. 31. scilicet, verbo Dei.

5 Et crediderunt. Quia homines nauis erant in urbe, & testimonium de eo ferebant, quod proiecissent eum in mare, deque re tota ut se habebat: propterea crediderunt eius prædictioni, & perfecta pœnitentia resipuerunt. Et prædicauerunt ieunium. Ante exhortationem re- gis, pœnitentiam ex se segerunt, afflixeruntque se ipsis, amicti saccis.

Et Crediderunt viri. Ordo est pulcherrimus, præ- Acces- cipit Deus Prophetæ, propheta prædicat ciuitati, prius viri credunt, & illis ieunium prædicantibus, omnis ætas sacco induitur, viri non prædicat saccum, sed tantum ie- iunium:

iunium: At vero hi quibus pœnitentia præcipitur, con sequenter ad iejunium saccum copulant, ut inanis venter, & habitus luctuosus, ambitiosus Dominū deprecentur.

CHALD.

6 Et peruenit verbum ad ^c De solio suo regio. regē Niniue, & surrexit de ^f Vestimentum suum ^e solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & in- ^g Ex decreto regis endutus est sacco, & sedit in insque procerum. cinere.

7 Et clamauit, & dixit in Niniue ex ḡore regis & principū eius, dicens, Homines, & iumenta, & boues, & peccora non gustet quicquam, nec pas cantur, & aquam non bibant.

Selo-Iarhhi. 6 Vestimentum suum. אַרְרוֹן ornamentum suum pretiosum.

7 Et clamauit. Imperauit atque promulgauit: Ex ore regis. Hebr. סָמֵחַ ex gusto, id est, Ex regis ad magnates suos, consilio, insserunt voce præconis promulgarc.

Aben Ezra. 6 Et peruenit. Istud (contigit) antequam se accingarent saccis. Et abiecit. וַיַּעֲבֹר Et transire fecit, hoc est, detraxit & exuit. Et indutus est. כִּם & tegere fecit: id est, fecit ut carnem suam saccum tegeret: nam verbum est transituum.

7 Ex ore regis. סָמֵחַ ex gusto, id est, ex consilio, sententia, ac mente sua. Qua metaphorā legitur in Psalmis, Cum mutasset ipse gustum suum (i.e. sententiam suam.)

Da, Kimhhi. 6 Et peruenit verbum. Verbum illud, quod dixerat Propheta & prædicauerat aduersus ciuitatem.

Vestimentum

CVM COMMENTARIIS.

65

Vestimentum suum. Ornatum regium, quem gestabat. Ionathan transtulit, vestem pretij sui. i. pretiosam.

7 Et clamauit. Promulgare fecit per urbem prænium pœnitentiae, & licet populus esset ex se se paratus, tamen adiecit insuper afflictionem iumentorum & restitucionem rapti.

Ex ore regis. סָמֵחַ Ex gusto regis, hoc est, Ex consilio & mente sua, ipse & eius magnates in eo consenserunt, Sic in Job, Gustum seniorum accipiet, & in Psal. 1ob 12. v. 20. mis, Cum mutasset ipse gustum suum: aliisque similibus. 1ob 12. v. 20. psal. 34. v. 10. At Ionathan conuertit, Ex decreto regis.

CHALD.

8 Et operiantur saccis ho- ^b Arapina. mines, & iumenta, & cla- ⁱ Qui nouit in se esse ment ad Dominum in for peccata, conuertatur titudine, & conuertatur vir ab ipsis, & miserebi à via sua mala, & ab ^b iniiqui tur ipsius Deus, ac atate quæ est in manibus eorū. uertetur ab excande scientia iræ suæ, neque tur & ignoscat Deus, & re peribimus.

9 Quis ⁱ scit (si) conuerta uertatur à furore iræ suæ & non peribimus? 8 Et clament ad Dominum in fortitudine. Vin. Selo-Iarhhi. xerunt seorsum matres, & seorsum earum fætus, dicentes ipsi Domino uniuersi orbis, Nisi tu misereare nostri, nec nos eorum miserebimus.

9 Quis scit. Transgressiones in manu sua esse, conuertatur. Et ignoscet Deus. Cogitet super malo ut ab eo auertatur.

8 Et clament. Homines nempe. Aben Ezra. K 9 Quis

9 Quis scit. Is qui capax est intelligentiae, quine agnoscit se peccasse. Vel deest particula, Forte, Si forte convertatur &c. ut dictio, Conuertatur, pertineat ad Deum excelsum.

Da. Kimhhi. 8 In fortitudine. id est toto corde. A via sua mala. A reliquis transgressionibus. Et ab iniuitate. Hoc (scelus) est instar omnium, ac propter istud decreta est in eos sententia.

9 Quis scit. Nū forte conuertatur & ignoscat Deus, ubi nos resipuerimus ab operibus nostris malis. Exponi etiam potest, Is qui scit modum & rationem pœnitendi, resipiscat, & Deus optimus maximus pœnitudine quoque ducetur. Verum Ionathan trastulit, Qui nouit quod sint scelerata in se, resipiscat ab illis, ac siet Domini misericordia super eum. Ignoscat Deus. דנ נotatur patah, quod sit verbum præteriti temporis versum in futurum propter vanumque coniugationis Niphah.

CHALD.

10 Et vidit ^{lz} Deus opera ^{lz} Et innoverunt Do-
corum, quia conuersi sunt mino.
de via sua mala: & misertus est Deus super malitia,
quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit.

Aben Ezra. 10 Et vidit Deus. quod in eum credidissent & sic in
^{Exod. 18. v. 12.} historia Iethronis & Coram Deo (infert Iethronem in
Deum credidisse) Et misertus est. דנ נו ו & pœnituit:
Lex loquitur (de Deo) more hominum & ἀνθρώπων.

Da. Kimhhi. 10 De via sua mala. Complectitur omnia vitia. A
violentia etiam seu rapina conuersi sunt pœnitentia ab-
soluta,

soluta, quemadmodum tradiderunt doctores nostri, quorum fausta felixque sit memoria. Is qui (inquit) trahem rapuerat, eaque arcem magnam construxerat, funditus totam illam arcem diruit ac labefactauit, ut vero domino trahem redderet. Et misertus est Deus. Omnia etenim verba, quibus dicit se afflicturū homines, sunt sub conditione, Si non resipuerint: quod si pœnitentiam egerint ipse propitius fit: Atque hæc una est ex Dei conditionibus seu proprietatibus, sicut traditur in lege. Quo etiam sensu & ratione loquendi dixit Ieremias, Momento ^{Iere. 18. v. 7.} loquar &c. Eodem & Ezechiel, Cum conuersus fuerit ^{Exec. 18. v. 27.} impius ab impietate sua, &c.

Super malitia. Malitia hoc loco non ut virtuti est Accessio, contraria, sed pro suplicijs & tormentis seu afflictionibus est accipienda: quale est illud, Sufficit diei malitia sua: & ^{Matt. 6. v. 34.} in Amos, Si erit malum in ciuitate quod non fecerit Do- ^{Amos 3. v. 6.} minus: sic & alibi sape.

CAP. IIII.

CHALD.

1 Et ^a afflictus est Ionas affli- ^a Et molestum fuit
ctione magna, & iratus est. Ionae dolore maximo.

2 Et oravit Dominum, & ^b Suscipe deprecationem
dixit, Obscurio ^b Domine, nem meam Domine.
Nunquid non hoc est ver-

^c Ad mare.
bum meum cum adhuc es. ^d Lentus ad iram, &
sem in terra mea? Propter multiplicas afficere bo-
hoc præoccupauit ut fugen- nis, & reuocas senten-
rem in Tharsis. Scio enim tiam tuam ne inferas
quiatu Deus clemens, & mi- malum.

fericors es, patiens, & multe miserationis, & i-
gnoscens,

gnoscens super malitia.

3 Et nunc Domine tolle, quæso, animam meam à me, quia melior est mihi mors quam vita.

Selo. Iarhhi. 1 Et afflictus est Ionas. Dicebat enim apud se, Nūc gentes istæ me habebunt pro pseudopropheta.

2 Nūquid non hoc est verbum meum? Sciebam ego quod si redirent per pænitentiam, non esses eos destruētur, atque ita mendax haberer ab ipsis.

Aben Ezra. 1 Et afflictus est. Quod Deus pænitudine ductus fuisset.

ver. 2. 2 Et orauit. iam supra istud exposui. Et ignoscens. חם est nomen Thoar, propterea enim notatur camets, iuxta rationem omnium coniugationum Niphal.

3 Et nunc. Propterea quod videret Israelitas non age-re pænitentiam, timebat ne ipsis malum accideret: qua-propter precatur, Tolle quæso animam meam: Instar Exo. 32. v. 32. Mosis, qui, dele(inquit) me quæso: quemadmodum quo-
2. Reg. 19. ᄀ que fecit Eliseus, cum(lugens) unxit Hazaelem.
2. Reg. 8.

Da. Kimhhi. 1 Et afflictus est. וְרָע malum fuit. Radix seu galli* feliciter thema ipsius est עַיִן (quiescen. pe iod) quale est in Genesi, exprimunt. II Et malum fuit in oculis Domini: Et in Deutero. luya fait mal. Gen. 38. עַרְעֵל malus erat oculus eius. Et sic omnia quæ sunt formæ Deu. 28. v. 54. eorum, non autem ut voluit R. *Iehuda.

Qui * vt docet Kimhhi in hb. Quare autē doluit Ionas, maximè cum nondum ad diē radicum sen- quadragesimum peruenisser? Quod dixisset illi Deus per tiebat radicem spiritum prophetæ, se conuersum esse ab eo, quod in illos esse עַיִן decreuerat, postquam ipsi reuersi fuissent à via sua prava.

Cap. 1. v. 1. Et iratus est. Nepe, sicuti exposuimus, propter Israelitas, qui à sua peruersa viuendi ratione non auertebantur.

2 Et

2 Et orauit. Ionas orauit, Tolle quæso animam meam. Initio autem orationis sue ait, Obscro Domine nunquid non hoc est verbum meum, quod cogitabam & apud me colloquebar? Verebar etenim ne resipiscerent, ac eu pænitudine ducereris super malo & afflictione, atq; eorū pænitētia præberet occasiōne mali, Israelitis. Verū vox נָחַת quæso, scripta est p. n. Cū adhuc essem, יְהֹוָה Dum adhuc essem, cui simile est apud Iobum, רְאֵת, Dum iste loqueretur. Præoccupauit fuge-^{Iob. 1. ver. 14.} rem. Antequam scilicet secundò veniret ad me prophe-tiatua. Et ignoscés. בְּנֵי cum camets. Est enim Benoni coniugationis Niphal.

3 Et nunc Domine tolle quæso animam meam. Ne videam calamitatem Israel. Quemadmodum etiam dixit Moses doctor noster, super quem sit pax, Dele me Exod. 32. v. 32. quæso de libro tuo: & alibi, Occide me quæso occidendo. Num. 11. v. 15.

Et afflictus est. Videns subintrare gentium plenitu-dinē, et illud impleri quod in Deuteronomio dicitur. Ipsi Deut. 32. v. 21 me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Desperat de salute Israelis & magno dolore concutitur.

4 Et dixit Dominus putasne bene irasceris tu?

5 Et egressus est Ionas de CHALD.

civitate, & sededit cōtra orientem ciuitatis, et fecit sibimet e Quid ad extremū vmbraculum ibi, & sedebat urbi cōtingeret. subter illud in vmbra, donec videret quid e acci-deret ciuitati.

K iiiij 4 Putaf-

Aben Ezra. 4 Putasne benè. **הַיְתָה** sicut in Deuteronomio, Contudi eum (vitulum) molēdo **הַזְּבֹב** benè, id est, comminutio-ne absoluta ac perfecta. Sensus autem est eiusmodi, Quare ira tibi est usq; adeo? Verum Iaphet aliter expo-nit, Ita ne (inquit ille) tibi est, quod ego beneficiis aficiā eum quem volo? Atqui hæc interpretatio vana est.

5 Et egressus est Ionas. Redit commemorare acta Ionæ, & ea quæ ipsi euenerunt, antequam implerentur Gen. 18. v. 11. quadraginta dies. Quo etiam modo legimus illa, Et in Ibid. 48. v. 13. cedit in locum, &c. Item, Et accepit Ioseph utrūq; eorum.

Da. Kimbhi. 4 Putasne benè irasceris tu? Vehementer ne iratus es? Nec plura ad eum loquutus est, cum tamen vellet dicere, adhuc se ostensurum illi signum quo intelligeret, non æquum esse, ut irasceretur propter suam in respiscentes misericordiam. Porro Benè siue Heb. **הַיְתָה** designat ve-Deut. 9. v. 21. hementiam rei. Ut & in Detero. Contudi eum molen-t. Reg. 11. v. 18 do benè: & alibi, Fregerunt benè. Sunt tamen qui ita exponant, Bonumne quo illos afficio, ad iram te impellit? Ionathan conuertit **שְׁלֹחַנִי** quæ dictio, sonat admodum.

5 Et sedit cōtra orientem ciuitatis. Sedit in eo loco qui erat ad orientem urbis, ut videret, persecuturine essent in respiscentia sua, & reuocaretur contra eos sententia in eos decreta.

* **לִפְנֵי** 6 Et præparauit Dominus Deus * hederam, & ascendit super caput Ionæ, ut esset umbra super caput eius, & protegeret eum à malo suo. Et lætatus est Ionas super hedera lætitia magna.

Selo. Iarhhi. 6 Et parauit. **לִפְנֵי** est de significatione apparatus. Et protegeret eum à malo suo. i. ab æstu solis. Hederam.

Hebr.

Heb. **לִפְנֵי** nomen est herba, quæ crescit in altum cum ramis multis, & umbram facit.

6 Hederam. Heb. **לִפְנֵי** Sapientes Hispanie di- Aben Ezra. cunt esse cucurbitam aut cucumerem: tamen nulla nobis relicta est probatio, qua quidnam illud sit sciamus. Et protegeret eum à malo suo. hoc est à vehemēti multoq; æstu solis. Sunt autem qui dicant cutem carnis eius, propterea quod diu mansisset in visceribus piscis, fuisse adeò teneram ut non posset ferre æstum.

6 Et præparauit. id est, germinare fecit ex tēpore, ac Da. Kimbhi. quamuis Ionas struxisset sibi tugurium in umbraculum, fortasse tamen iam aruerant arbores casæ ipsius, siquidem degebatur illic, quo ad implerentur quadraginta dies. Edidit autem (Deus cum eo) istud prodigium, ut eum edoceret decretum suum, & miserationes suas, superare omnia ipsius opera. Cæterum **לִפְנֵי** herba cuius ramuli producuntur, & in altum efferuntur, facienda umbra comoda est. In illud autem Misna (sic vocant contextum librorum Talmud) Et non in oleo kik, Doctores quæstionem mouent in Gemara (quo nomine intelligunt supplementum cōtextus Talmudici) Quid sit kik, Res Lachis quidem respondit esse Kikaion Ionæ. Sic & Rabba filius Barhanna, Quod ad me (inquit) spectat, videtur mihi esse Kikaion Ionæ, quæ similis est Tseluliba, atque inter paludes crescit. Hanc autem in ostiis tabernarum exigunt umbra causa: Quin etiam ex baccis siue granis eius conficiunt oleum. At Rabbi noster Samuel filius Hophni dicit esse herbam quæ vocatur lingua Arabica * Alkerua. Cæterum Tselulibam reperi in responsioni- bus

In Talmud.
tracta.

טְבַח

cap. 3.

* Hierony. in
Ionam, & in

*epist. ad Augu. bus Haggaeonim (ita appellant peritos Talmud) esse ar-
st. legit. ^{et} borem sterilem ac infructuosam, quæ est frequens in re-
Keroa, v. ro-
gione nostra, grana proferentē, ex quibus fiat oleū, ex quo
qui multo frigore laborat, bibere solet: Arabicè vero illi
nomen est Alkerua. A malo suo. à calore & aëstu solis,
qui eum feriebat, quod aruissent frondes tabernaculī,
quæ ipsi erant umbræ.*

7 Et parauit Dominus vermen ascensu diluculi
in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.

CHALD.

8 Et cùm ortus fuisset f Ventum orientalem
^{* Hierony. hic} sol, * præparauit Dominus & silentem.
sequitur sep- ventum f calidum & vren-
tuaginta in- tem, & percussit sol super g Et penè exanima-
terpt. dū ver- tit, precepit. caput Ionæ, & g æstuabat, tus est.
& petiuit animæ suæ ut mo-
reretur, & dixit, melius est mihi mori, quam vi-
uere.

Selo. Iarhhi. 7 Et percussit hederam scilicet vermis: loco autem eius, quod dicendū erat in masculino genere ינ, dictum est in fæminino ינ.

8 Ventum calidum & vrentem. Hebr. חַרְוִשׁוֹת
^{* sic Galli. Il} * silentem. Dixerunt Doctores nostri hunc ventum, qua
fait vn vent hora flat, non sinere exaudiri reliquos vētos, effeq; admo-
dum calidum. Sic etiam transtulit Ionathan, Silentem.
Et æstuabat. Hebr. אֲלָуָתִי vernaculè, Pasmer.

Aben Ezra. 7 In crastinum. Diei (nempe) quo latatus fuerat pro-
pter enatam Kikaion.

8 Ventum calidum. Hebr. סֶמֶן. i. orientalem. Et v-
tentem.

rentem. *רֵרִישׁוֹת. i. Silentem. Ventum autem silentem Ra. Marinus dixit appellatum, quod effet ita vehemens, & suo flatu talem edens strepitum, ut aures hominum obsurdesceret. Et æstuabat. In Hebr. est אֲלָуָתִי eiusdem significationis atq; illud Amos אֲלָפָנָה וְחַנְןָה. i. inuoluet se, Gen. 38. v. 13. & Genesēs, Et obtexit se peplo atque inuoluit se: se enim operuerat vestibus suis.*

7 Et parauit. Præparauit vermem ex tempore, in loco Da. Kimhhi³ kikaion herbæ. Et percussit hederam. *Vsurpat nomen הַוְלָעָתִי vermis, fæmininè, sicuti etiam in Deuterono- Dcu. 28. v. 23.*
mio, Cum נַגְלָנוּ חַחְלָנוּ comederit eum vermis. Cum autem dicit, Et percussit, significat vermem cor-
rofisse eius radices, & postquam ab ea defecit humor ter-
ræ, & excisa est, exaruerunt eius folia quæ illi erant um-
bræ. Itaque uno quidem die ceßit illi in lætitiam, sed cra-
stino sub ascensum seu ortum auroræ percussa, aruit.

8 Præparauit Dominus. Præparauit ventum ipso
temporis momento, ut in eum calamitatem calamitati cu-
mularet, sicut æstu solis. Cæterum vocat ventum vehe-
mentem חַרְבִּיתִי surdum: quoniam eius flatu homines
velut surdi redunduntur. Hinc Ionathan exponit אֲלָקִיר
. i. silentem. Orientalis quoque ventus (.f. Eurus) est cali-
dus. Et percussit. Ille videlicet vetus, & sol. Et æstuabat. Hebr. אֲלָעָתִי & laffata est anima ei⁹ & turbata ad-
modum, adeo ut non posset apud se consistere præ multo
& vehementi æstu, ut propemodum euolaret eius spiri-
tus: quemadmodum exposui אֲלָפָנָה וְחַנְןָה in librum Amos. Amos 8. v. 13.
Qua verbi notione (legitur) in dictis doctorum nostro-
rum, Ne forte נַחֲלָתָה deficiat & taquam exanimetur,

9 Et dixit Deus ad Ionam, Putasne bene irascis tu super hederam? Et dixit, Bene irascor ego usque ad mortem.

10 Et dixit Dominus, Tu doles super hederam in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit.

11 Etego non parcam Niniuæ ciuitati magna, in
Hebr. *supra qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa.
Versus 48. continet.

Selo Jarhhi. 10 In qua non laborasti. Aratione, aut satione, aut irrigatione aquarum. Vna nocte nata. בָּנְיַלִלְתָּה idem quod בָּנְיַלִלְתָּה filius noctis: neque etenim crevit nisi spatio unius noctis.

11 Qui nesciunt & cæ. paruuli. Et iumenta multa. Homines grandiores, quorum notitia est velut iumenti, ignorant enim quis eos creauerit.

Aben Ezra. 9 Et dixit Dominus. Deus utitur parabola erga suum prophetā, quod indignaretur se ductū pœnitudine. 10 Et dixit Dominus. Scriptura loquitur ea dicendi ratione quam possint intelligere hi qui audiunt. Alioqui Deus non laborat in ulla creaturis: Sed sane talis est sensus, Tu quidem misertus es rei, & ego non parcam operi

Denuo 38. v. 23. Deut. 25. v. 2. meo? Dicitio autem בְּנֵי effertur per hinc, ut in Deuteronomio בָּנְיַלִלְתָּה filius Nun: & Ibidem, Si בָּנְיַלִלְתָּה *percudendi (fuerit) impius. Porro non protendit gaudium ex kikaión, ultra unum diem à mane ad vesperam. Nam à principio noctis cœperat crescere usque ad diluculum, vesperè

vesperè autem cœpit crescere, adeo ut emergente aurora, tota redditæ sit arida: Ideo enim illam dicit filiam fuisse noctis, & filiam similiiter noctis periisse.

11 Cetum viginti millia hominum. Qui non pecarunt, quin etiam iumenta. Hic autem locus est coniectura, quod per Subuertetur (qua voce usus est supra) Cap. 3. v. 4. respectum sit ad euersionem Sodomæ, quæ uniuerso orbi erat cognita.

9 Dixit Deus. Istud ex se satis clarum est.

Da. Kimhhi.

10 Et dixit Dominus, Tu doles super hederam.

Licet non misertus sit kikaión, nisi propter angorem suum, tamen Deus Optim. Maxim. pepercit Niniuæ propter gloriam suam. Nam creata, sunt illi gloria, sicut scriptum est, Plena est terra gloria eius. Quanto autem magis genitius hominum, ut scriptum est, Et in gloriam meam creavi eum (hominem)

Ezai. 6. v. 3. Ezai. 43. v. 7.

Quamvis enim (in commentariis nostris super Esaiam) istud exposuerimus de Israele: tamen de

tota hominum specie loquitur, quemadmodum & dixit,

Ezai. 43. v. 7.

Finxi eum, feci quoque eum. Attamen propterea quod If-

raelitæ magis norunt gloriam Domini, quam reliquum

genus hominum, dempiis sapientibus ipsorum, hic versi-

culus loquitur de Israele. In qua non laborasti neque

fecisti ut cresceret. Res in qua elaborauerunt homines

molestius perditur. Quamvis autem Deus benedic-

dus, non laborarit in formatione creaturarum, tamen lex

sermonem usurpat iuxta hominum loquendi rationem,

ut hi qui audiunt intelligere ac percipere possint. Quæ


sub vna nocte nata est, & cæ. בָּנְיַלִלְתָּה ut בָּנְיַלִלְתָּה idem quod בָּנְיַלִלְתָּה Filius Nun. Et בָּנְיַלִלְתָּה veluti, Ex filia noctis. (i. nata Denuo 38. v. 23.

Lij seu

*Num. 3. v. 14 seu exorta una nocte) sicut in Numer. De filio mensis:
Exod. 30. v. 14 Et alibi, A filio viginti annorum. Filiam autem noctis dicit, quia unius noctis spatio germinauit, et sequenti nocte periiit, ad extremum noctis. Nam ex oriente auro-ra percussa est atque aruit.*

11 * Plus quam centum millia hominum. *Supra Hiero. sensum duodecim myriadas hominum. Continet autem רְבָיָא myrias, decem millia. Ceterum in dictione מִתְחִים mem est cum retinaculo, nec afficit w pucto daghes. Homo vero generale est ad viros et farnas. Qui nesciunt. Quia sunt paruuli, nec norunt distinguere inter dextram suam et laevam, carentque peccato et mulcta, nisi forte propter patres. Itaque posteaquam patres resipuerunt, obnoxij non sunt pœnae. Et sic dixit, lumenta multa. quæ. si in urbe erant. Nec vero iumentum obnoxium est pœnae aut merito. Cum ergo omnibus his æquum sit parcere et misereri, quanto magis cum plurimæ sunt numero.*

Finis Commentariorum in Ionam
Prophetam. zlw θεω.



EX SOPHONIA PERIONII IN LIBRO DE VITIS REBUS QVE gestis Prophetarum Dei.

Ophonias propheta, Chusi patre, ex tribu Simeonia natus est. Is losia Ammonis filio rege Iudæ vaticinatus est quæ eo libro, qui eius nomine in sacrosanctis habetur, continentur. Terret primum, deinde confortatur. Prædictus Hierosolymitanorum captiuitatem, ob scelera quæ enumerat, cum omnium, tum principum, & iudicū diemque illum terroris causa nominibus appellat, quæ horrorem hominibus afferre solent: prædictus etiam multarum nationum extitum, ut Aethiopum, Assyriorum, Moabitarum, atque Palestino-rum. Extremo libro de C H R I S T I aduentu & resurrectione, gentiumque ad eum conuersione differit. Mortuus est, ac sepultus fons in agro suo, ut Epiphanius scribit.

Epiph. libro de prophet. vitis.

Quia in hunc, commentariorum Aben Ezra exemplar in promptu mihi non suppotebat, illius versionem omittere coactus sum. Ceterum, si forte in manus meas perucenerit ac per otium liceat, ipsum etiam cum Republica nostra literaria libenter communicabimus. Vale et reliquis interea fruere.



SOPHONIAS CVM COMMENTARIIS RABBINORUM SELOMONIS. IARBHI, & DAVIDIS KIMBHI, UNA CUM CALDAEA EXPOSITIONE, QUATENUS VARIAT AB HEBRÆO, AR. PONTACO INTERPRETE.

CHALD.

I Erbū & Domini, quod factū est ad Sophoniam filiū Chus, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezechiæ, in diebus Iosiac filii Amō, regis Iudæ.

2 Desinendo cdesinere faciam omnia à facie terræ, dicit Dominus.

3 Perdam hominem, & pecus, perdam volatilia cœli & pisces maris, & scandala cum impiis:

Selo. Iarbhi. Et disperdam homines à facie terræ, dicit Dñs. **2** Desinendo. אָמַת est de significatione excisionis, ut loco sequenti, נְפָזָא, Et perdas animam tuam: in historia Micheæ. Ac aleph deficit in dictione secunda אָמַת definere faciam, debuerat enim dici אָמָן. Verum his

Esa. 13. v. 20. multa sunt similia, ut, Non בְּנֵי figet ibi tētoria Arabs, pro בְּנֵי.

3 Et scandala idola.

I Verbum

CVM COMMENTARIIS.

I Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam &cæ. Sunt qui dicant hunc Ezechiam esse regem Iudæ, quod quidem stare potest: At huius rei nulla extat probatio. Maiores tamen eius fuerunt sine dubio celebres, ac propterea eorum meminit. Tres autem prophetæ temporibus Iosiac vaticinati sunt, Ieremias, Sophonias, *Anco Marcio & Hholda. Ac dixerunt piæ memoriae doctores nostri, rege Roman. Ieremiam prophetasse in plateis palam & publicè, So. Augsti. lib. 18. phoniam in synagogis, Hholdam vero inter mulieres. cap. 33. Cæterum hæc prophetia edita est, antequam Iosias & Iuda resipiscerent à suis peccatis.

2 Desinendo. אָמַת est infinitius verbi אָמַת quod significat perdere, ut in libro Iudicium, נְפָזָא Et perdas Iud. 18. v. 25. animam tuam & familiæ tuæ.

Desinere faciam. אָמַת est futurū coniugationis hiphil quiescētiū Ain, de significatione אָמַת ut in Psalmis, סִפְרֵי Psal. 73. desierunt & cōsumpti sunt. In kāl est verbum neutrum, at in hiphil est transituum, ut apud Ieremiam, Perden- Ierem. 8. do perdam eos. Ait autem se perditum omne animal de superficie terræ, Israeliticæ scilicet: Ac primum in genere loquitur, postea vero explicat.

3 Perdam (inquit) hominem & pecus, perdam volatilia cœli & pisces maris. Verum cum dicit, volatilia cœli & pisces maris, hyperbolice loquitur, ut cum Ieremias, inquit, A volucre cœli usque ad pecora transmigrauerunt & recesserunt. Et Oseas, In bestia agri & Osee 4. v. 3. in volucre cœli. Et pisces maris, perdentur. Consente- neum est etiam intelligere iuxta literā. Magna enim ex parte aues degunt in locis cultis, in quibus inuenire pos-

sint

sint semina, fructus, ac flores arborum, non in desertis. Cumque vastatur quod habitabatur, aliò euolant. Atque sic exposuimus in Ieremias & Osea. Eodem quoque modo pisces maris non nant ferè alibi quàm in mari, quod est proximum terræ habitabili. Et scandala. Inuenient impios, quibus corruent & impingent, quasi diceret, ipsis parabuntur: significans tribulationes illis obuiam ituras, quibus ita corruant ut moriantur. Ionathan transtulit,

* Legit enim Kimb. in Chal. ^{רָסְנִיאַת}_{per} ^ת non ^ת multiplicatum est scandalum impiorum: postea addit, Et disperdam homines. sicut paulo ante dixerat, Et perdam hominem: Quare igitur facit separati mentionem impiorum? quia cōparat eos anibus, impij enim non liberantur ab offendiculis & laqueis, ut à gladio, fame, & peste: Cæteri vero qui omnino non sunt impij, similiter & iusti, exulabunt, terra in vastitate deserta, absque homine & iumento.

Accessio.

2. Reg. 17:

Sophonias non meminit regum decem tribuum, id est, Israel, sicut Oseas & Amos prophetæ, sed tantum regum Iuda. Nam enim decem tribus ab Aþyriis sexto anno Ezechiae regis Iuda, & ante Iosiae regnum 80. annis, deducētæ in captiuitatem fuerant. Vaticinatur autem de euerſione Ierusalem, de captiuitate Iuda, & victoria Nabuchodonosor: & prædictit tantam fore iram Domini, ut eam sentiant ipsa quoque bruta animantia. Vastatis enim urbibus & imperfectis hominibus, solitudinem & raritatem quoque bestiarum fieri, & volatiliū pisciumque, testis est Illyricum, testis Thracia, testis in quo ortus sum solum, ubi præter cœlum, & terrā, & crescentes vepres, & condensa syluarū, cuncta perierunt. ait Hieron.

4 Et

CHALD.

4 Et extendam manum meam super Iudam & super omnes habitantes Ierusalem, & disperdā de loco hoc reliquias Baal & mina ædituorum cum sacerdotibus.

5 Et eos qui adorant super tecta militiam cœli, & adorāt, & iurant in Domino, & iurant in Melchon.

6 Et qui auertūtur de postergum Domini, & qui nō quæsierūt i Dominum, nec inuestigarunteum.

7 Silete à facie Domini Dei, quia propinquus est dies ille venturus à Domino, qui parauit hostiā, sanctificauit vocatos Dominus stragem, cōsuos.

4 Reliquias Baal. Nullum enim relinquetur memoria ipsius monumentum. A Edituorum cum sacerdotibus. cultorum ipsorum una cum sacerdotibus.

5 Et iurant in Domino. Ac iterum etiam iurante Melcon idolum suum, pluris facientes idolum, Si tu, inquiunt, non credis mihi deinranti per Deum, ecce ego iuro tibi per idolum.

7 Sanctificauit vocatos suos. Præparauit copias M eorum

e Et efferam plagam meam potentem in homines Iuda.

f Et nomen cultorum eorum (Baalim) cum

g Qui iurantes per

nomen Domini, reuertuntur, & iurāt per *i iterum in nomē idolorum suorū. rānt;

h A cultu Domini.

i Timorem Domini, neq; eum implorarunt. Cōsumpti sunt omnes impij à facie Domini

Dei, quia propinquus est dies ille venturus à Domino, qui parauit hostiā, sanctificauit vocatos Dominus stragem, cōsuos.

Selo, Iarhhi.

eorum ad diem victimæ.

Da. Kimhi. 4 Reliquias Baal. Cultum Baal qui adhuc reliquus est. Nam qui erant ex tribu Iuda, non ita adherebant tenaciter cultui Baal, ut hi qui erat ex Israel. Achab enim sese totum addixerat cultui Baal, ac post eum reliqui reges Israel. Fieri etiam potest ut illud quod ait, Et disperdam, Completum sit per Iosiam regem, qui omnia combusit, quemadmodum scriptum est in libris Regum. Vel etiam loquitur de desolatione terra. Reges enim Iuda post Iosiam prava & iniqua egerunt coram Domino. Vaticinatur autem idola una cum cultoribus suis perdenda: ut & scriptum erat in maledictionibus legis. Cadetis interruinas idolorum vestrorum. Et nomina

Leuit. 25. * Quod verti ædituorum cum sacerdotibus. ^{כתרים} sunt, qui ædituorum. induebatur nigris (vestibus) in honore idoli, ^{כהנים} vero siue sacerdotes, qui ministrabat idolo. Horum ait omnium nomen & memoria delebitur in hoc mundo.

5 Et adorant & iurant in Domino, & iurant in 1. Reg. xi. v. 5. Melchon. Interdum Deum adorant, interdum Melchon idolum (Amonitarum) quod sibi pro rege præfecerunt, atq; ita adiungunt Deo benedicto aliquid aliud quod Exod. 20. v. 23 ipsi colant: cum dicat scriptura, Non facietis mecum deos argenteos neq; deos aureos. Ionathan transtulit, Qui iurantes per nomen Domini, denuo iurant per nomen idolorum suorum.

6 Et qui auertuntur. In Hebr. est ^{נסוגים} simile illi Psalmorum, Et non ^{נשׁוּב} recessit retro cor nostrum, quasi dicat, Ipsos non ambulasse in viis Dei, nec seruasse legem ipsius. Et qui non quæsierunt Dominum, licet non

coluerint

coluerint idola, sed quia apud se cogitarint, Deum nec beneficia conferre, nec mala immittere, ac nullam esse utilitatem eum querere, et inuestigare faciem eius: Hi autem omnes comprehenduntur eadem pena, quia ipsis evenient ruina, & tandem interibunt, quos Dominus allquitur dicens.

7 Siletæ à facie Domini Dei, quasi dicat, Cōticeſci-te, atq; siletæ à facie eius: O vos qui cogitabatis Deum non inspicere opera vestra, siletæ nunc à facie eius, Nam prope est dies eius quo vos opprimet. Hostiam. i. interfec-tos impiorum. Sanctificauit vocatos suos. Præparauit ad illam hostiam inuitatos suos & coniuas, ipsas nimirum volucres cœli & feras agrestes, ut exedant imperfectos, sicut in increpationibus legis, Et erit cadauer Deut. 28. tuum in escam cunctis volatilibus cœli & bestiis terræ.

Iuda & Beniamin venerant in tantam impietatem, Accessio. ut in templo Domini, iuxta quod scribit Ezechiel, & ^{Ezech. 8. v. 3.} Regnorum quartus liber ostendit, statuam Baal, quam ^{4. Reg. 10.} imaginem cœli Dominus vocat, statuerint, & in eodem ^{v. 17.} sanctuario idola, & Dominum pariter venerati sint.

Dies Domini. Dies iste, est dies captiuitatis & ultionis in populum peccatorem, hostia est subuersio Ierusalem. Vocati, sunt hi quos dedicauit interfectioni, secundum illud Ieremiæ, Sanctifica eos in die interfectio-nis eorum. ^{Iere. 12. v. 3.}

Super tecta. Ut enim idololatriæ plenius viderent & colerent sydera, solebant ascendere super tecta ædium, quæ in illis regionibus erant plana, ut & hodie paſsim in Italia.

CHALD.

8 Et erit: In die¹ hostię Do-
mini, visitabo super princi-
pes, & super filios regis, &
super m^m omnes qui induti
sunt veste peregrina.

* i. certatim.

9 Et visitabo super nⁿ omnē
qui arroganter ingreditur
super limen in die illa, qui
complent domum domini
sui iniquitate & dolo.

Selo. Iarhhi. 8 Veste peregrina. Ornamentis idolorum.

9 Qui arroganter ingreditur super limen. Iona-
than transtulit, Super omnes qui ambulant in statutis
Palestinorum, qui non pedibus attingebat limen Dagon
idoli sui, sicuti scriptum est, Propter hanc causam non cal-
cant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur tem-
plum eius, super limen Dagon, &c.

Da. Kimhhi. 8 Super principes & super filios regis. Ipsi quia
vexabant pauperes (hoc enim erat in potestate ipsorum)
cadent gladio in die hostię, qui est dies excidiij: Atq; ita
scriptum est apud Ieremiam, Et iugulauit rex Babylo-
nis filios Sedechia in oculis eius, sed & principes Iuda
occidit in Reblatha. Super omnes qui induti sunt
veste peregrina. Dominus pater meus, cuius fælix fau-
stumq; sit meminisse, exponit istud de his, qui cum vide-
rent quempiam hominum, quo fortiores essent, veste ele-
ganti indutum, solebat eam rapere ac vestire. Sapiens au-
tem ille R. Abraham Aben Ezra pia recordationis in-
terpretatur

terpretatur illud, Veste peregrina, Comparatione to-
tius populi, per superbiam, ne nullus imitaretur ipsorum
vestiendi rationem. Ceterum sunt, qui hoc intelligat de
veste idolorum. Vnde & Ionathan conuertit, Super om-
nes qui cū strepitu concurrunt ad colendū idola. Alij pu-
tant intelligendum de his qui simulat se esse separatos &
pios, ac induunt se veste peregrina, præter consuetudinem
populi, ut agnoscantur habitu suo separati, cum via ipso-
rum sint pessimæ.

9 Et visitabo super omnem, &c. Dominus pater
meus exponit de seruis principum, aut de adolescentibus
regis, qui ubi vident in domo pauperis rem desideratam
quam apetant, ut quæ sit elegans, ingrediuntur in illam
cum impetu, hoc est, insiliunt super limen domus pauperis,
ut maxima festinatione eam sibi diripiant, ac adferant
dominis suis: Ac illud est quod ait, Qui complent domum
domini sui iniquitate & dolo. Verum sapiens
ille R. Abraham Aben Ezra intellexit de limine domus
dominorum suorum, propter maximam lætitiam qua per-
funduntur, cum veniunt ut impleant ædem dominorum
suorum rapina & dolo. At Ionathan conuertit, Super omnes
qui ambulant iuxta ritus Palestinorum: significans eos
non calcare limen templi idolorum, ut nec etiam Palestinos,
de quibus dictum est apud Samuelem, Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui in-
gliuntur templum eius, super limen Dagon. Porro in
libro Deras (q.d. repertorium) R. Ieremias ex sententia
R. Samuelis filij R. Isac, Inuenimus (inquit) Israelitas
flagrasse magis cultu idolorum, quam ipsas metu g̃etes, nam

M iij de gesti-

1. Sam. 5. v. 5. de gentibus scriptum est, Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon & cæ: de Israëlitis vero, Qui ingreditur arroganter super limen.

Accessio. In die Iudaicæ captiuitatis, quando populus est immolandus, visitabit Dominus, & super principes & super omnes de stirpe regia: vel certè propriè super filios Iosiae, quos vel occisis, vel captos legimus, & super omnes qui induiti sunt ueste peregrina. i. qui pro Dei cultu venerati sunt idola.

CHALD.

10 Et erit in p die illa, dicit p In illo tempore.

Dominus, vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à secunda, & contritio magna à collibus.
11 Vlulate habitatores pilæ, conticuit omnis populus Chanaam, disperierunt omnes inuoluti argento. omnis populus cuius opera similia erant operibus populi terræ Chanaam, consumpti sunt omnes diuites opum.

Selo. Iarhhi. 10 A porta piscium. Hebr. הַרְגִּים Ionathan træstulit, A porta piscium: Erat enim Hierosolymæ porta quedam, dicta porta הַרְגִּים piscium. A secunda. A

* priore pro- porta הַרְגִּים. i. auium, quæ erat secunda ab illa piscium. ducta.

11 Habitatores * pilæ. Vallis Cedron, ut exposuit * q. d. homilia Ionathan, quod ea profunda & concava esset sicut pila attractionis. vi. de Eli. in Tisb. seu mortarium. At in libro Midrasch, * Agadah aiunt * puto legen- doctores, Porta piscium est urbs Acco quæ sita est in finu dum esse potius maris, in quo piscando capiuntur pisces magna copia: A Lux per zan secunda, s. * Lud ciuitas, quæ est secunda post Ierusalem:

lem: A collibus, est urbs * Tsipori quæ collocata est in cacumine montium, instar auium: Habitatores pilæ, id est, Tibériadis (urbis Palestinae Iudæ) sic dictæ, quod sit humiliata terrarum Israel. Conticuit omnis populus Chanaam. Ionathan conuertit, Quia excisus est universus populus, cuius opera similia sunt operibus populi se patriam Antterra Chanaæ. Omnes inuoluti argento. מִתְּהִלָּה Omnes diuites opum, quasi * onusti sunt pondere argenti & auri, sicut in Prouerbiis, Graue est saxum בְּוֹנֶת one-arena: de significatione ponderis.

* de qua multa in Thalmud.

tract. meghilla cap. 1. eadem

cum sephorim seu sephori,

quæ ferunt suis

paræ virginis.

Lego enim non he.

Prou. 27. v. 3. Da Kimhhi.

Nehem. 12. v. 38.

Et super portam piscium, & turrim Hananeel: Ac for-

tasse vendebatur illic pisces. Et vlulatus à secunda. Est

schola seu domus disciplinæ, estque simile ei quod scriptū

est in libro Regum, Quæ habitabat Hierosolymis in Se-

cunda, quod Ionathan transtulit, In domo doctrinæ. Et

contritio magna à collibus. Erant loca in Ierusalem,

aut circum, sicut collis Gareb, cuius fit mentio in libro Ie-

remia. Ionathan autem hunc locum ita reddidit, Vox

clamoris à porta piscium, & vlulatus ab Auibus, &

coititio magna à Collibus. Verū in Midrasch Agadah,

Porta piscium est * Acco quæ posita est in finu piscofo, Et

vlulatus à secunda, * Luz, quæ est vicina Hierosolymæ,

1. v. 31. 16. v. 2.

Conritio autem magna à collibus, Tsiphori, quæ sita est * de qua Ios. in verticibus montium.

11 Vlulate habitatores עֲנָכָה loci profundissimi Hierosolymæ. Ionathan transtulit, Qui habitatis in torrente Cedro. At in Midrasch Agadah, Mactesch est Tiberias

SOPHONIAS

rias, quod sit profundior & in dimesiori loco totius terre Israël. Conticuit omnis populus נָגֵן, id est, negotiator, iuxta significationem aliquot locorum scripturaræ, ut בְּנֵי מַרְכָּב Mercator in manu eius statera dolosa, & Institutores eius incliti? נֶרְמָח i.e. excisus est, sicut apud Oseam, נֶרְמָח Excisus est rex Israël: נֶרְמָח Excisus est populus meus. Ionathan verit Chanaam pro ut sonat, Quia (inquit) excisus est omnis populus, cuius opera similia sunt populo terræ Chanaam. Inuoluti argento, gestantes argentum, id est, mercatores: unde in Gen. 23. v. 16. Genesi, Argentum transiens * ad mercatorem. Ionathan ^{*i. probata mo} Diuites opum interpretatur.

Accessio. Portam piscium eam vocabant quæ Diospolim dicit & Ioppen, & vicinior erat mari inter cunctas vias Ierusalem: de qua & Esdras refert, Portam autem piscium edificauerunt filii Afnaa &c. Et quod ait, Et ululatus à secunda, secundi muri in eodem climate portam significat, de qua & in Regum libro scriptum est. Contritionem autem magnam à collibus, de mōte Sion & ex celsiore urbis parte loquitur, quia cum altiora & arx ciuitatis fuerint occupata, facilior est in prona descensus. Vel etiam colluum nomine intelligit mōtes, quibus undique cingebatur Ierusalem. Sic autem describit captiā urbem Ierusalem à Babylonij. Et cum subiicit, Ululate habitatores pilæ, loquitur de ululatu eorum qui hababant in valle Siloë.

CHALD.

12. Et erit in tempore illo: * Precipiam perquisitoribus Ierusalem in lucernis, & visitabo super vi-

CVM COMMENTARIIS. 8,

ros defixos in fæcibus suis: nis perquiri quidpiam qui dicunt in cordibus suis, solet, & animaduer-

Non faciet benè Dominus, tam in homines qui trā & non faciet male.

quilli sunt in opibus suis, qui dicunt in cor-

dibus suis, non esse cor-

di Deo, prodeesse vel nocere.

tabunt: & plantabūt vineas, & Facultates eorum.

& non bibēt vinum earum. v. In prædam.

12. Scrutabor Ierusalē in lucernis. Studiose inqui- Selo, Jarhhi- ram in iniquitates eorū. Defixos fæcibus suis. קְפָאִים natantes super fæces suas; nam Chaldaea expositio illius loci in libris Regum, Et natauit ferrum, usurpat hanc vo- cem נְפָקִה, Et natauit ferrum. Qui dicunt in cordi- 2. Reg. 6. v. 6.

bus suis, non faciet benè Dominus. ijs nempe qui ipsius voluntatem sequuntur. Et non faciet male. præ-

uaricatoribus suæ voluntatis.

12. Scrutabor Ierusalem in lucernis. Quemadmo- Da. Kimhhi: dum homo lucerna uestigat rem quam sedulū querit: sic ego perscrutabor Ierusalem, ut incendio conficiam omnes præuaricatores qui in ea sunt. Hac formula Scriptura ait, Lucernam Domini esse spiritum hominis inuestigan- Prou. 20. v. 27 tem omnia secreta ventris. Ionathan exponit, Præcipiam perquisitoribus ut peruestigent Hierosolymam non secus ac hi qui scruntantur (aliquid) lucerna. Defixos in fæci- bus suis. Qui desident in suis ædibus super facultates suas, velut vinum subsidens fæcibus suis. Res quæ posita & collecta est in unum, quaque cohæret, ut aquæ con-

N densatæ

densatae, aut lac coagulatum vocatur קִפְאָוֶן, quod sit stabilis & immota. Ionathan translit. Qui fruuntur felicitate & pacati sunt in opibus suis. Non faciet bene Dominus, & non faciet male. Bona & mala quae hominibus solent contingere non ab eo manant, neque enim ipse curat haec inferiora. At Ionathan exponit, Non est voluntas Domino iustos beneficis afficere, neque malis impios.

13 Et erit fortitudo eorum. Facultates eorum erunt praedæ. Et ædificabunt domos. Non diu incolent ædes quas construxerint, inde etenim citissime emittentur: nec similiter diu vino fruentur vitium, quas plantauerint.

Accessio, Et erit &cæ. In die captiuitatis Ierusalem, siue per Babylonios, siue per Romanos scrutabitur Dominus cum lucerna omnia abscondita Ierusalem, & nullum patietur Lib. 7. de bello inultum effugere. Et sane Iosephus scribit ex cloacis quoque speluncis, antris, & sepulchris extractos fuisse reges, potentes, & sacerdotes qui se in eis mortis metu abscondant. Indai. cap. 17.

CHALD.

14 Iuxta est dies a Domini a Dies à Domino vēmagnus, iuxta est & velox turus. nimis. Vox diei b Domini a b Diei à Domino afmara, tribulabitur ibi fortis. futuri, in quo amaritu 15 Dies iræ, dies illa, dies tri- do & clamor, ubi forbulationis & angustiæ, dies tes necantur. calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis.

16 Dies tubæ & clangoris super ciuitates mun- tas,

CVM COMMENTARIIS.

91

tas, & super angulos excelsos.

17 Et tribulabo homines & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum, sicut humus, * In terram. * humi & corpora eorum sicut stercora.

18 Sed & argétum eorum, d Ultionis eius absur & aurum eorum, non potemetur omnes impij territ liberare eos in die iræ Do ræ, quia absolutam e mini: in igne d zeli eius deuo tiam excisionem faciet rabitur omnis terra, quia cō cum omnibus habita summationem cum festina toribus terræ.

19 Tribulabitur ibi fortis. Fortis ibi eiulabit voce Selo, Iarhhi, & clamore acerbo.

15 Dies calamitatis & miseriæ. טַהֲרָה וְזַבְחָה idé significant, טַהֲרָה autem desolationem importat maiore.

16 Et tribulabo homines. Israelitas, qui cœsentur vobis cabulo hominis. Et corpora eorum. לְהֹמֶת .i. caro eorum, unde lingua Arabica caro vocatur Al Lahham. Sicut stercora. גּוֹלְלִים sunt stercora.

14 Velox nimis. Festinans. Nam מְהֻר est adiectionis, Da. Kimhhi, iuxta normam dictionis שְׁבֵת apud Ecclesiastem, Et שְׁבֵת Eccles. v. 2. laudans ego magis mortuos. מְרַצְרָה Attollentis vocem & clamantis* amarè, nam צְרָה est vocem attollere, unde * quod Hieron. de loco edito usurpatur in libro Iudicum, Et venerunt in veritatem amarè tribulabitur. צְרִיחַ altum: Velut dies, inquit, Domini clamantis & exaltantis vocem suam atque vociferatis amarum. Adiecit autem Ibi fortis. q.d. ibi venient fortis, ut interficiant eos: Vel, Ibi fortis occidentur, quemadmodum ex-

N ij ponit

ponit Ionathan, *Ibi* (*inquit*) fortis necati. R. Abraham Aben Ezra (*per transpositionem vocum*) interpretatur *Ibi erit fortis amarè eiulans.*

15 Dies iræ. Clarum est: ac in toto isto versiculo iteratur eadem sententia alijs atque alijs verbis ad maiorem vim atque energiam.

16 Dies tubæ & clangoris. Hostes enim clangent in eos, cum expugnauerint & sibi subiecerint urbes munitas.

Super angulos. id est, super turres.

17 Et tribulabo homines. *חַצְרוֹתִי* *habet accentum in ultima* (*& propterea futuram significationem*) *אָרָם lamed camet* *satur. Significat eos, qui fuerint intra urbem in præsidij & munitio-*
Alludit ad cap. 15. 30. *nem, viutiros pane angustiæ, & aquis tribulationis. Sicut humus. Sic puluis qui effusè dispergitur. Nemo enim magni pendit dispersionem eius: ita effundetur sanguis eorum absque misericordia. Et corpora eorum sicut stercore. Caro eorum effundetur in sterquilinis tanquam fimus. בְּלֹד autem (quod vertit Hieronymus Corpora) significat carnem, ut in libro Iob. Et pluet supereum בְּלֹחֶם i.e. carnem eius.*

18 Cum festinatione. Illa clades erit accelerata, id est, eueniet celeriter de repente. Ionathan exponit, *Quia absolutam etiam excisionem faciet. &cæ.*

Accessio-

Hæc possunt accipi vel de Babylonica captiuitate vel de extrema quam passi sunt Iudæi à Romanis: quæ quam certissime sint impleta testatur D. Hierony. his verbis. Nobis præsertim qui nunc in ista sumus prouincia (Iudæam intelligit) licet videre, licet probare quæ scripta sunt.

funt. Vix ruinarum parua vestigia in magnis quondam urbibus cernimus. Silo, ubi tabernaculum & archa Do-
mini fuit, vix altaris fundamenta monstrantur. Gabaa illa ciuitas Saulis, usque ad fundamentum diruta est. Rama & Bethoro & reliqua urbes nobiles à Salomo-
ne constructæ, parui viculi demonstrantur. Legamus Io- seph. libr. 7.
sephum, & prophetiam Sophoniae illius cernemus histo-
riam & cæ: Hac ille. de bello Iudæi. cap. 1. & 18.

CAP. II.

CHALD.

1. Conuenite, congrega-
mini gens non amabilis.

2. Priusquam pariat iussio
quasi puluerem træseuntem
diem, antequam veniat su-
per vos ira furoris Domini:
antequam veniat super vos

3. Quærите^b Dominū om-
nes mansueti terræ, quia ciu-
diciū eius estis operati: quæ-
rite^a iustum, quærите man-
suetū: si quomodo abscōda-

* e- * i. edatur.
xeat in vos sententia
judicaria, & sitis fi-
miles glumæ, quæ ab-
ripit ventus, & umbra

quæ declinat^c à con-
spectu diei.

* i. vna cum
die.

b Timorem Domini. * Heb. Iustitia

c Decreta voluntatis & mansuetu-

dinem.

